Klassische Philologie

De Pinciani castigationibus quae pertinent ad L. Annaei Senecae philosophi dialogorum libros.

Josephus Borgmann

Klassische Philologie

De Pinciani castigationibus quae pertinent ad L. Annaei Senecae philosophi dialogorum libros.

Commentatio philologa

quam consensu et auctoritate amplissimi philosophorum physicorumque in alma litterarum universitate Wilhelmia Westfala Monasteriensi ordinis ad summos in philosophia honores rite capessendos

scripsit

Josephus Borgmann
Coesfeldiensis.

Monasterii Westfalorum.
Ex Officina Societatis Typographicae Westfalae
MDCCCCXXIX.

Consensu et auctoritate ordinis philosophorum commentationem typis expressam esse testatur

Carolus Muenscher,
ordinis philosophorum h. a. decanus.

Ad ordinem philosophorum de comprobanda commentatione rettulit

Carolus Muenscher,
p. p. o.

Examen rigorosum habitum est pridie Jd. Mai. MCMXXVIII.

Matri optimae memoriaeque patris.

Conspectus.

Praefatio.

De vita Fernandi Pinciani.

Antequam de Fernandi Pinciani castigationibus, quae pertinent ad L. Annaei Senecae philosophi dialogorum qui appellantur libros, disputem, nonnulla de huius viri docti vita praefari libet, quippe qui studiis antiquis in Hispania renascentibus quadam auctoritate non caruerit.

Fernandus Pincianus, quo nomine hunc virum Hispanorum e gente ortum nominare solemus, quoniam semet ipsum plerumque in libris epistulisque hoc nomine vocavit, vernaculo sermone Hernán Núñez de Toledo, „el Comendador griego", appellabatur.[1]) „Comendador griego" aequales eum nominabant, quod imprimis de lingua Graeca in Hispania renascente optime meritus est, ut Ch. Graux dicere posset:[2]) „(Il) fut l'introducteur et le père des études grecques en Espagne". Pincianus anno 1475 in urbe Pincia, nostris temporibus Valladolid nominata, natus videtur esse, quare sibi indidit nomen Pinciani. Pater eius in aerario regio administrando gerebat magistratum. Elementis litterarum discendis in patria primam operam navavit. Jam puer quattuordecim annorum in ordinem Sancti Jacobi receptus est, quo divitior nobiliorque illis temporibus vix quisquam quattuor ordinum militarium Hispanorum erat. Anno circiter 1490 in Italiam se contulisse videtur, ubi imprimis studiis Graecis se dedit

---

[1]) Quae de Pinciani vita vulgo proferuntur, non satis constant, ut omnes fere viri docti, qui de eo scripserunt, inter se dissentiant. Certiora deprompsi ex commentariolo, quod scripsit P. Groussac, Le commentateur du Laberinto, Revue hispanique XI (1904) p. 164 sqq., qui illius vitam proxime veritatem scripsisse mihi videtur. — Groussac Pinciano nomen „Hernán N. de Guzmán" non fuisse contendit, quod, quamquam ipse nunquam nominasse videtur, postea ei saepius datur (p. 190 sq., 214 sq.). Idem illi non licuisse dicit dignitate „Comendador" uti, quod eques quidem Sancti Jacobi, non autem „Comendador" fuisset (p. 194 sq). Cf. etiam J. Ortego Rubigo, Fernando Núñez de Guzmán (el Pinciano), Revista contemporánea 124 (1902) p. 513 sqq. et R. Foulché-Delbosc, „Le Commendeur grec" a-t-il commenté le Laberinto?, Revue hispanique X (1903) p. 105 sqq.

[2]) Ch. Graux, Essai sur les origines du fonds grecs de l'Escurial, Bibliothèque de l'École des Hautes Études 46 (1880) p. 9.

Bononiae, qua in urbe in collegio Sancti Clementis habitabat.[3]) Ibidem codices manu scriptos veterum auctorum acquisivit, quos in Hispaniam secum tulit.[4]) In patriam reversus Granatae magister filiorum Lopezi de Mendoza, comitis de Tondilla, factus est, quo tempore commentarium ad poetam Juan de Mena (1411—1456) scriptum confecit. Huic operi nonnullos iam per annos operam impenderat, priusquam anno 1499 Sevillae publici iuris factus est.[5]) Horis subsicivis, quas liberis comitis Mendoza erudiendis impertire non debebat, totum se studio linguarum antiquarum et orientalium dedebat. Anno 1509 conversionem historiae Bohemiae ab episcopo cardinali Piccolominio compositae Sevillae edidit. Deinde Cisneros, archiepiscopus Toledensis, eum vocavit Alcalam, ut in universitate nuper condita artem rhetoricam doceret. Alcalae vero societatis illius erat sodalis, quae sibi proposuerat, ut vetus testamentum in complures linguas conversum ederet, quae editio anno 1514 typis expressa est. Inde ab anno 1519 scripta Graeca in Latinum sermonem ad verbum translata, verbis Latinis supra Graeca positis, emisit, ut opera Basilii Magni, Demetrii Moschi.[6]) Cum autem seditionis eorum, quos nominant „Comunidades", esset particeps, fieri non potuit, ut diutius Alcalae professoris munere fungeretur. Quare anno 1523 Salamancam se contulit, ubi illi primum mandatum est, ut in universitate linguam Graecam doceret. Anno 1527 praeterea munera rhetoricae profitendae interpretandique Plinii suscepit.

Salamancae vero ad nonnullos scriptores Latinos castigationes laude dignas publici iuris fecit. Nempe virorum suae aetatis doctorum potissimum esse putabat curare, ut verborum contextus scriptorum antiquorum a vitiis scribarum et correctorum liberaretur. „Nullum", inquit, „mihi (genus scribendi) fructuosius magisque e re publica litterarum videri solet, quam quod illis ac praeiudicatae auctoritatis scriptoribus, qui scientiae atque eloquentiae fores nobis reseravere, a vitiis

[3]) Cf etiam Rubigo, p. 519. Sed anni, quos dat, vix recti esse possunt, cum Pincianus illis temporibus iam in patriam redisset.

[4]) Cf. Rubigo, p. 519, adn. 3.

[5]) De libris Pinciani cf. R. Foulché-Delbosc, p. 114 et British Museum. Catal. of Printed Boocs, London 1893 t. 261 p. 188 sq.

[6]) Cf. Graux, p. 9 et Foulché-Delbosc p. 115.

mendisque librariorum, interdum et correctorum, vindicandis impenditur. . . . Ego vero . . . cunctis in universum doctissimis hominibus, in hoc tam utile, tam honestum, tam necessarium munus, ceteris studiis si non prorsus abiectis, saltem prae hoc postputatis, incumbendum, immo incubandum esse censeo." [7]) Atque ipse hoc opus plenum aleae maxima cum cura atque diligentia tractavit. Ad tres enim scriptores Latinos habemus illius castigationes: ad Pomponium Melam,[8]) Plinium,[7]) Senecam. Fundamenta huius dissertationis posita sunt in castigationibus ad Senecam factis, quae Venetiis anno 1536 impressae sic inscribuntur: „Fernandi Pinciani Graecae Latinaeque linguae peritissimi, in Salmanticensi Gymnasio professoris praestantissimi, in omnia L. Annaei Senecae philosophi scripta, ex vetustissimorum exemplarium collatione, castigationes utilissimae." [9]) His potissimum operibus assecutus est, ut sibi pareret nomen nobile clarumque.

Ultimis vitae annis proverbiis Hispanis colligendis operam navavit. Haec collectio anno 1555 post mortem eius edita est. A. d. VI. Id. Jan. anni 1548 munere rhetoriçae, a. d. XVII. Kal. Oct. eiusdem anni linguae Graecae profitendae se abdicavit. Cum autem vires eum non omnino deficerent, in eadem universitate linguam docebat Hebraicam usque ad annum 1552 exeuntem. A. d. IV. Non. April. 1553 mortem obiit.

Quibus rebus omnibus perspectis facile intellegimus Fernandum Pincianum, „Comendador griego", qui studiis litterarum potissimum Graecarum et Latinarum nec non Hispanarum maximam impendit operam, praeter ceteros viros doctos illorum temporum floruisse. Qua de causa dignus videtur esse, qui oblivione non obruatur.

---

[7]) Observat. F. Pinc . . . . in loca obscura et depravata Histor. Nat. C. Plinii. Antwerpiae 1547, praef. p. 3 r. sq; prima ed. Salamancae 1544. Cf. Graux. p. 10 sq. Rubigo p. 521.; Foulché-Delbosc, p. 116.

[8]) Pomp. Melae de sit. orb. lib. tres, Salam. 1536.

[9]) Exemplari bibliothecae universitatis Gottingensis usus sum.

I.

De dialogorum traditione codicibusque quid senserint viri docti.

Cum huius aetatis viri docti miro quodam modo dissentiant, quid ad Senecae dialogorum qui nominantur contextum constituendum vel edendum valeant codices, perpauca de hac re verba facere non videtur esse supervacaneum. Etenim Gertzii sententia, quam Madvigium[1]) Kochiumque[2]) secutus profitetur[3]): „facile intellegemus, quod maxime tenendum est, nullam olim exstitisse textus traditionem ab ea, quam Ambrosianus exhibeat, ita diversam, nedum ita meliorem, ut non solo Ambrosiano ad textum constituendum contenti esse possimus," minime ab omnibus viris doctis, qui Senecae libris operam navaverunt, probata est, quamquam concedendum est codicem A(mbrosianum) qui appellatur dialogorum contextus constituendi omnium, quos habemus, optimum esse fontem.

Ille enim codex, qui litteris C n° 90 part. inf. signatus est, Mediolanensi in bibliotheca asservatus, litteris Longobardicis in 88 foliis, quibus duo sunt affixa, quae non ad codicem ipsum pertinent, duodecim dialogorum libros continet eadem serie, qua E. Hermes[4]) eos in editione habet. Gertz[5]) quidem, quo accuratius nemo illum codicem perscrutatus est, eum initio XI saeculi, fortasse etiam saeculo quod antecedit X exaratum esse censet. Sed quod hic codex dialogorum contextum integrum nobis non praebet, valde dolendum est. Etenim iam archetypus eas videtur habuisse lacunas, quas invenimus in libris qui sunt de ira I (intra cap. 2), de vita beata, de otio, de consolatione ad Polybium (initio), cum quae desunt omnino nullo in codice servata sint. Sed a manu posteriore capita 1 et 2,1—3 libri primi qui est de ira in pagina 12r. codicis A,

---

[1]) Adversaria critica, Hauniae 1871—1876 II p. 338 sqq.
[2]) L. A. S. Dialogorum lbb. XII, Jenae 1879 praf. XIII.
[3]) L. A. S. Dialogorum lbb. XII, Hauniae 1886 praef. p. VIII.
[4]) L. A. S. Dialogorum lbb. XII, Lipsiae 1905.
[5]) Gertz, ed. praef. p. VII sqq.

quam primus librarius vacuam reliquerat, cum in codice, ex quo describebat, hoc loco lacunam esse intellexisset, saeculo demum XIV vel etiam XV adscripta esse Gertz et Loewe consentiunt.[6]) Infelici vero quodam casu folia, quae capita 1—17,1 consolationis ad Polyb. continebant, ex codice A evulsa sunt, ut hoc in libro ad contextum edendum codices deteriores quos vocamus solos usurpare cogamur.

Codicem A „et aetate et bonitate primarium locum" [7]) tenere omnes viri docti haud dissentiunt, quamquam permultis locis a correctoribus nonnullis, quorum Gertz sex numerat, pessime depravatus est. Sed tamen hoc fere uno ex codice contextum edendum curavit Gertz, quamquam ipse quoque codicem A omnium ceterorum parentem non esse intellexit [8]), quod antea contenderat.[9])

At quod E. Hermes in dialogis recensendis Gertzii sententiam secutus codice A fere solo usus omnes codices recentiores neque denuo collegit neque perscrutatus est, ab E. Bickelio [10]) valde vituperatus est.

Sed ipse quoque Hermes, cum dicit [11]): „illud quoque concedendum est haud raro eos, cum in gravioribus mendis cum A fere consentiant, in levioribus meliora servavisse" etc., eum, qui accuratius contextum constituere in animo habet, etiam codices recentiores adhibere oportere ni fallor concessit. Longissime vero O. Rossbach [12]), qui codices deteriores ad textum edendum permagni momenti esse atque saepe peculiarem et ab A diversam praebere traditionem contendit, a Gertzii sententia distat. Neque G. Gemoll [13]) a Rossbachii verbis multum abhorrere videtur.

Proximis vero annis C. Münscher [14]) codices recentiores neglegendos non esse profitetur: „Da sie (codd. dett.) zweifel-

---

[6]) Gertz, ed. praef. p. VII.
[7]) O. Rossbach, Bresl. phil. Abh. II 3 (1888) p. 6.
[8]) Ed. praef. p. XXV sqq.
[9]) Studia critica in S. dialogos, Hauniae 1874 p. 37 sq., quem ad librum cf. Fr. Schultess, Gött. gel. Anz. 46 (1874) p. 1445 sqq.
[10]) Berl. phil. Woch. 1906 p. 264.
[11]) Ed. p. XIII.
[12]) Bresl. phil. Abh. II 3 (1888) p. 6 sqq.
[13]) Woch. f. klass. Phil. 36 (1888) p. 1106.
[14]) Bericht über d. Sen.-Lit. aus d. J. 1915—1921, Burs. Jahresb. d. Fortschr. d. klass. Altwiss. 192 (1922) p. 133 sqq.

los hier und da das Richtige bieten, nicht durch Konjektur, sondern aus Überlieferung, darf man sie dann aber so ignorieren und das Einquellensystem als das Richtige proklamieren, wie es Gertz und Hermes tun? Es mag ein opus plenum taedii atque aleae sein, diese jüngere Überlieferung durchzuarbeiten, aber es ist eine Arbeit, die getan werden muß und in der H.'schen Ausgabe nicht getan ist."

Neque viris doctis peregrinarum gentium codices deteriores haud neglegendos esse persuasum non est, quorum imprimis I. Marouzeau [15]) nonnullos codices recentiores, quid valeant, diligenter perscrutatus est. Eandem de codicibus recentioribus sententiam professi sunt H. Wagenvoort [16]) et A. Castiglioni.[17])

Contra novissimo tempore R. Pichon [18]) Gertzii sententiam codices recentiores nos neglegere posse amplexus est. Tamen A. Bourgery [19]) sententiam illorum virorum, quibus nos codicibus recentioribus carere non posse persuasum est, haud scio an suo iure sequatur. Sed cum ederet nonnullos dialogorum libros, non multum aliter his in codicibus adhibendis se gerebat atque priores dialogorum editores, quamquam eum ad hanc editionem codicem Parisinum 15 086 contulisse infitias ire nolo.[20]) Neque Duff,[21]) Favez,[22]) Waltz [23]) propria manu scriptorum codicum studia fecerunt, ut singulos libros dialogorum ederent.

Sed calculis subductis codices deteriores praeterire non licere apertum esse mihi videtur. Nam non solum fieri potest, sed re vera fit, ut quae sunt in codice A menda scripturis codicum recentiorum emendentur, quos sequi certius ac tutius esse puto quam nostro ingenio corrigere corruptelas. Accedit,

---

[15]) Rev. de phil. 37 (1913) p. 47 sqq.

[16]) Mnemos. 41 (1913) p. 153 sqq. — [17]) Athenaeum I (1913) p. 98 sqq.

[18]) Mélanges offerts à E. Chatelain, Paris 1920 p. 230 et Rev. de phil. 37 (1913) p. 258 sqq. — [19]) Rev. de phil. 37 (1913) p. 95 sqq.

[20]) Sénèque, Dialogues, Tom. prim., De ira, Paris 1922. (Coll. de G. Budé). Sénèque, Dialogues, Tom. sec., De la vie heureuse, De la brièveté de la vie, Paris 1923 (Coll. de G. Budé). — De codice Par. cf. Bourgery, ed. tom. prim., praef. p. XXIII et Rossbach, Bresl. phil. Abh. II 3 (1888) p. 9 sqq.

[21]) L. A. Senecae dial. lbb. X, XI, XII Cambridge 1915.

[22]) L. A. Senecae ad Helviam matrem de cons., Paris 1918.

[23]) Sénèque, Dialogues, Tom. trois., Consolations, Paris 1923 (Coll. de G. Budé).

ut quidam codices, id quod Gertz[24]) ipse quoque dixit, non ex A descripti esse videantur, „sed ex alio archetypi apographo". Quodsi verum est, codices quidam deteriores propriam habent traditionem, etiamsi magis depravati sunt quam codex A, ideoque respiciendi sunt. Rem ita se habere vel inde intellegitur, quod Gertz et Hermes, qui totus ex Gertzio pendet, in illo libro, qui est de consolatione ad Marciam, cuius contextus in codice A valde depravatus est, ipsi quoque illos codices saepius adhibuerunt, ut genuinas inde depromerent lectiones. Quare opus illud plenum taedii atque aleae perficiatur necesse est, dummodo Senecae dialogorum editionem habere cupiamus omni ex parte perfectam. Adhuc enim, si Senecae dialogorum codicibus manu scriptis operam impendere in animo habemus, Fickerti[25]) editionis apparatu critico manco indiligentique necesse est utamur.

His de rebus egi, cum a Senecae librorum editoribus Fernandi Pinciani liber, quo eius in Senecae scripta castigationes publici iuris sunt factae, inter illos codices deteriores numerari soleat. Ita factum est, ut de hoc quoque libro virorum doctorum sententiae minime congruant. Quid O. Rossbach sentiat, his ex verbis intellegas:[26]) „Gründlicher (als Erasmus, Muret und Gruter) hat die schwierige Aufgabe der auch um Plinius hochverdiente spanische Gelehrte Fernandus Pincianus in Angriff genommen . . . . leider keine Ausgabe, sondern nur seine außerordentlich verdienstvollen Castigationes erscheinen lassen" et[27]) „Fickert in seiner Ausgb.[28]) hat das Andenken des wackeren Mannes nur aus dem Grunde verunglimpft und seine Zuverlässigkeit angezweifelt, weil oft keine einzige seiner eigenen Handschriften mit den von jenem angegebenen Lesarten übereinstimme."

Quantam habeant auctoritatem illae Pinciani castigationes in Senecae libris qui sunt de beneficiis et de clementia recensendis G. Kiekebusch[29]) dissertatione, quam in hac

---

[24]) Ed. praef. p. XXV sqq.
[25]) L. Annaei S. opera, 3 voll., Lipsiae 1842—5.
[26]) Berl. phil. Woch. 1899 p. 614 sq.
[27]) Berl. phil. Woch. 1899 p. 614 adn.
[28]) Vol. I praef. p. XV.
[29]) De Pinciani in Senecae phil. de benef. et de clem. libros castigationibus, Gryphiae 1912.

commentatione conscribenda sequor, bene demonstravit. Nempe C. Münscher[30]) hoc opusculum utilissimum esse professus sic pergit: „Als eine Notwendigkeit erscheint auch die sorgfältige Nachprüfung der Pincianus-Castigationes zu den übrigen Sen.-Schriften." Cum enim Pincianus „laboriosa sane ac exquisita diligentia exemplaribus scriptis et pervetustis quindecim et eo pluribus summa industria ac labore hinc inde conquisitis",[31]) quae omnia non iam exstare videntur, usus sit, necesarium esse equidem puto illius viri docti castigationes accuratissime perscrutari, ut, quid in Senecae dialogis valeant, tandem clarius cognoscamus. Neque enim eas prorsus neglegentia praeterire licet, id quod ipse infra videbis, cum saepius in iis rectum genuinumque inveniatur. Nempe constare videtur Senecae librorum editores recentiores interdum hunc Pinciani librum typis impressum vel omnino non vel accuratius non inspexisse eiusque lectiones illis solum ex Fickerti apparatu critico esse notas. E. Hermesium vero hunc Pinciani librum ipsum non perscrutatum esse cum ex verbis de codicibus deterioribus factis,[32]) tum inde elucere mihi videtur, quod non raro Pinciani lectiones falso in apparatu critico adnotavit.[33]) Sed quid valeant Pinciani castigationes re vera, ex ratione, qua usus Fickert eas in notis criticis adhibuit, perbene non intellegitur, cum saepissime eas lectiones afferat, quas professor Hispanus ipse quoque ut depravatas repudiavit atque melioribus restituere conatus est, non autem eas nominet, quas ille vir doctissimus probat. Praebet igitur saepe in notis criticis eas quas Pincianus ex editionibus vetustioribus sumpsit scripturas (cf. p. 14 sq.). Neque perraro Fickert in castigationibus adhibendis neglegentia quadam usus est. Quod dixi his fulcitur exemplis: H[34]) p. 1,1 Pi:[35]) si providentia mundus; Fickert: si divina providentia mundus; H p. 5,9 Pi: ferrum istud, etiam civili bello; Fickert: f. i., in c. b.; 9,27; 11,19; 22,7; 31,3; 41,12; 44,15; 64,1; 72,13; 77,8; 83,2; 107,27; 114,20; 130,27; 147,19; 158,18; 165,5; 175,25; 204,6; 210,20; 238,8; 248,13; 266,8;

[30]) Burs. 192 (1922) p. 155. [31]) praef. p. 3v. [32]) Ed. praef. p. XIII.
[33]) Cf. infra p. 56 sq.
[34]) Hermesii editio, quam in afferendis locis sequor. [35]) Pinciani lectio. — Lectiones Pinciani in indice inveniuntur.

272,22; 289,13; 304,20; 305,17; 315,24; 323,25; 329,22; 340,18; 352,21; 366,15 alibi. Praeterea Fickert lectiones a Pinciano allatas haud raro in apparatu critico omnino non ascivit: H p. 3,26; 6,18; 11,26; 18,15; 24,11; 49,2; 51,23; 56,7; 73,8; 111,30; 113,28; 121,16; 130,8; 157,27; 165,5; 176,7; 186,13; 204,9; 214,25; 222,12; 238,12; 246,27; 255,16; 268,27; 271,31; 275,14; 285,15; 330,12; 345,23; 352,4; 363,29 al.

His ex exemplis, quae facile augeri possunt, Fickerti apparatu critico valde confidere non licere in Pinciano iudicando satis intellegitur, quod plerumque fecisse videntur recentiores Senecae librorum editores. Qua de causa operae pretium esse mihi visum est Pinciani castigationes indagare atque perscrutari, quid valeant ad Senecae librorum dialogorum contextum constituendum. Nam spero fore, ut hoc modo, quanti aestimandus sit Pincianus in recensendis dialogis, clarius tandem appareat et Senecae librorum editores commoveantur, ut „opus plenum taedii" codicum deteriorum perscrutandorum expediatur, praesertim cum G. Gemoll[30]) O. Rossbachium iure laudaverit: „Wegen des ebenso kühnen — denn er übersteigt eines Menschen Kräfte — als glücklichen Gedankens, die gesamte Überlieferung der Schriften Senecas von neuem zu prüfen, resp. auf neue Grundlagen zu stellen."

II.

De Pinciani castigationibus codicibusque.

Pincianus libro suo nobiscum „quinque ferme milia", ut ipse ait,[1]) adnotationum ad Senecae philosophi libros, quorum in numero illis temporibus etiam decem „declamationum" libri habebantur, communicat. Eum autem ipsum quoque sola excerpta declamationum novisse ex castigationibus apparet. Etiam ad scripta quae sunt „de remediis fortuitorum" et „de paupertate"[2]) castigationes affert, qui libri, quales habemus, utrum Senecae attribuendi sint necne, dubium est. Pincianus

---

[30]) Woch. f. klass. Phil. 36 (1888) p. 1106.

[1]) Praef. p. 3.

[2]) Ed. Fr. Haase, Lipsiae 1902 p. 44 sqq. et de rem. f. ed. O. Roßbach, Bresl. phil. Abh. II 3 (1888) p. 97 sqq. Cf. C. Münscher, Senecas Werke, Philol. Suppl. XVI 1 (1922) p. 62; Schanz, Gesch. d. Röm. Lit. II 2, 3. Aufl. München 1913 p. 418 sqq.

castigationes ita in medium protulit, ut primo lectionem, quam falsam esse censet, ex illorum temporum editionibus plerumque sumptam, asciscat, tum pro illa afferat unam vel complures scripturas ex codicibus manu scriptis quos habebat desumptas, vel contextus corruptelas coniecturis e suo ingenio natis sanare studeat. Editiones vero, quibus usus Pincianus castigationes nobis dedit, Erasmianae et prima[3]) et altera[4]) praeter ceteras fuisse videntur, ut iam Kiekebusch[5]) suspicatus est, quod illis temporibus publici iuris factae sunt et Pincianus editorem doctissimum maxima laude dignum esse putat.[6]) Quod tibi ipsi illico liquebit, si lectiones a Pinciano repudiatas cum textu harum editionum comparaveris. Plerumque enim inter se congruunt. Sed tamen cum interdum illae cum Erasmi contextu comparatae miro quodam modo dissentiant, Pincianum etiam aliis illius aetatis editionibus usum esse apparet. Nominatim autem omnino nullam affert, sed modo dicit: „prior editio" vel „impressa lectio".

Series scriptorum, ad quae Pincianus castigationes typis expressit, haec est:

lbb. VII de beneficiis, p. 4r.—19r.
lbb. III de ira ad Novatum, p. 19r.—27r.
lbb. II de clementia ad Neronem, p. 27r.—30v.
lb. de vita beata ad Gallionem fratrem, p. 30v.—33r.
lb. prim. de tranquillitate vitae ad Serenum p. 34v.—37r.[7])
lb. ad Serenum, quomodo in sapientem non cadit iniuria, p. 38v.—40v.[7])
lb. de brevitate vitae ad Paulinum, p. 40r.—43r.
lb. de consolatione ad Polybium p. 44v.—46r.
lb. de consolatione ad Martiam, p. 46r.—53r.
lb. de consolatione ad Helbiam matrem p. 53v.—57v.
lbb. XXII epistularum p. 57v.—90v.
lb. de divina providentia p. 90v.—91r.
lb. de paupertate, p. 92v.—92r.

---

[3]) Basileae 1515. — [4]) Basileae 1529. — [5]) p. 5. — [6]) praef. p. 3v.

[7]) Pinc. in fine castigationum ad lb. de providentia datarum (p. 91 r.) dicit haec: „Sciendum autem in omni vetere lectione post hunc priorem de providentia librum sequi et alterum eiusdem materiae, cuius initium est: ‚Tantum inter Stoicos, Serene et ceteros sapientiam professos,' reliqua. Qui liber in impressis codicibus secundus de tranquillitate animae inscriptus est."

lb. de remediis fortuitorum, p. 92r.—93r.
lbb. VII naturalium quaestionum p. 94v.—102r.
lbb. X declamationum, p. 102r.—116v.

Liber qui inscribitur de otio cum in omnibus codicibus manu scriptis, tum in Pinciani libro nullo intervallo dialogum qui est de vita beata sequitur.

Pincianus „quindecim et eo pluribus exemplaribus" se usum esse contendit, sed nomina codicum, e quibus castigationes sumpsit, non omnia commemoravit. Plures enim lectiones ex codicibus, quos nominatim non affert, eiusmodi usus designationibus: „vetus lectio, manu scripta exemplaria, codices correctissimi, quorundam codicum lectio" et similibus, protulit. Neque castigationes, quae ex eius ipsius ingenio natae sunt, nobis non dat. Quare discernenda sunt tria castigationum genera: 1. eae, quae e codice nominatim allato, 2. quae e codice nullo nomine ascito, 3. quae e Pinciani ingenio provenerunt.[8])

Ad dialogorum libros Pincianus 1760 lectiones vel coniecturas affert, si adnumerantur, quae ad eundem locum complures factae sunt. Quarum scripturarum 378 e codicibus nominatim allatis, 1117 e codicibus nullo nomine ascitis, 265 e Pinciani ipsius ingenio provenerunt. Plures igitur quam dimidia pars castigationum e codicibus, quos nomine non affert, exceptae sunt.

„Quindecim et eo plurium exemplarium", quae se usurpasse Pincianus contendit, cum in omnibus castigationibus, tum in dialogorum libris sex nominata sunt:

1. Exemplar Facundi et Primitivi (= Fac)[9]) „antiquissimum et correctissimum", ut ipse ait. Id esse optimum omnium quae habebat exemplarium, quod quidem attinet ad dialogos, Pincianum putavisse inde eruo, quod saepissime appellavit. Cum hoc exemplar, ut cetera a Pinciano nominata, non iam exstare videatur, nisi quae ex ipsius verbis efficere possumus, de illis dici non licet.

---

[8]) Cf. Kiekebusch p. 8.

[9]) De horum codicum in libris de benef. et de clem. usu cf. Kiekeb. p. 9 sqq. — Eadem sigla, quibus Kiekeb. usus est, me quoque usurpasse, ut res fiat clarior, consentaneum est. — Cf. etiam de his exemplaribus Fick., ed. vol. I praef. p. XIV sq.

Exemplar Fac nomina duorum martyrum Hispanorum gerebat, qui imprimis in provincia Gallicea, in septentrionali Hispaniae regione sita, colebantur. Hoc exemplar in monasterio, quod his viris sanctis devotum erat, asservatum esse ex Pinciani verbis: „correctissimum exemplar coenobii divorum Facundi et Primitivi" apparere videtur.

2. Exemplar Pinciani vel divi Pauli Pinciani vel Pinciae (= Pa), qua ex designatione hoc exemplar nomen traxisse ab urbe Pincia facile cognoscitur. Asservatum fuisse videtur quadam in bibliotheca urbis Pinciae.

3. Exemplar divi Francisci vel Franciscanum vel Coenobii divi Francisci Salmanticensis (= Fr). Hunc codicem in Sancti Francisci monasterio urbis Salamancae fuisse ex ipsis Pinciani verbis statim elucet.

4. Exemplar domesticum (= Do), quod Pincianus „gallicana manu scriptum et non respuendae fidei" nominat.

5. Exemplar scholarum Salmanticensium vel scholasticum (= Sch). Pincianum eundem codicem aliis locis exemplar Academiae Salmanticensis vel Gymnasii Salmanticensis nominavisse cum Fickerto[10]) Kiekebuschioque[11]) consentio. In bibliotheca Academiae Salmanticensis hunc codicem fuisse veri simillimum videtur.

6. Exemplar bibliothecae divae Mariae (= Ma). In urbe Salamanca igitur bibliotheca vel aedes cognominis Sanctae Mariae fuisse videntur, in quibus asservabatur hoc exemplar.

Plura de illis codicibus ipsis investigare non possumus, sed illos re vera manu scriptos fuisse ex Pinciani verbis: „exemplaribus scriptis et pervetustis" apparet. Quibus verbis nos fidem habere posse mihi persuasum est, praesertim cum lectiones horum exemplarium cum nulla ante Pinciani tempora typis expressa Senecae scriptorum editione prorsus conspirare non difficulter indagari possit.

Ut facillime cognoscas, quo modo castigationes singulis dialogorum in libris ad singula exemplaria a Pinciano appellata referendae sint, duas tabulas addo. Prima indicatur, quot castigationes singulis in dialogorum libris e codicibus

---

[10]) Ed. vol. I praef. p. XIV. — [11]) p. 9.

nominatis, e codicibus non nominatis, e Pinciani ingenio provenerint.

Tabula I.

lbb. dial.	1. cast. e c. nom.	2. cast. e c. non nom.	3. coni. Pinc.	summa
de prov.	6	56	6	68
de const. sap.	18	90	23	131
de ir. I	19	53	9	81
de ir. II	48	85	24	157
de ir. III	61	94	31	186
de cons. ad Marc.	41	184	58	283
de vit. beat.	49	82	21	152
de otio	18	15	3	36
de tranq. an.	41	123	29	193
de brev. vit.	50	84	18	152
de cons. ad Pol.	17	94	24	135
de cons. ad Helv.	10	157	19	186
summa:	378	1117	265	1760

Altera tabula ostenditur, quot locis singula exemplaria singulis in libris nominata sint.[12])

Tabula II.

lbb. dial.	1. Fac	2. Pa	3. Fr	4. Do	5. Sch	6. Ma
de prov.	1	—	3	2	—	—
de const. sap.	13	5	3	1	—	—
de ir. I	11	5	4	—	—	—
de ir. II	34	13	6	3	—	2
de ir. III	44	10	10	3	—	1
de cons. ad Marc.	34	4	1	2	—	—
de vit. beat.	34	6	8	5	—	—
de otio	14	3	3	2	—	—
de tranq. an.	29	7	7	—	—	1
de brev. vit.	40	5	8	—	7	—
de cons. ad Pol.	9	3	4	—	6	—
de cons. ad Helv.	9	—	—	1	1	—
summa:	272	61	57	19	14	4

[12]) Quod numeri singularum tabulae II partium, si computas, alteram efficiunt summam atque exstat in tabula I 1 inde fit, quod eandem lectionem, quam in compluribus codicibus nominatis infuisse Pincianus affirmat, in tabula I 1 semel, at in tabula II sub uno quoque codice iterum me attulisse consentaneum est.

1.

Quibuscum codicibus nobis servatis Pinciani codices nominatim allati cohaereant.

Primum exemplaria a Pinciano nominatim allata, e quibus castigationes protulit, ut de illis certum iudicium facere possimus, quid valeant ad Senecae dialogorum libros emendandos, investigandum est, quibuscum codicibus nobis notis congruant. Nempe quamquam haud ullum horum exemplarium adhuc exstat, ita ut, num lectiones re vera ex iis codicibus provenerint, e quibus eas sumptas esse Pincianus dicit, explorare non possimus, tamen non est cur verbis eius diffidamus. Verum ad codicum auctoritatem investigandam Fickerti apparatu critico manco uti cogor, cum editores recentiores codices deteriores nota communi designatos singulos nisi raro in apparatu critico non asciverint.

Primum de codice Fac verba faciam, quo, ut iam supra commemoravi, saepissime omnium Pincianus usus est. Locorum 272, quibus Pincianus illum appellat, 70 fere cum lectionibus codicis A congruunt, ita ut eodem ex fonte illos exaratos esse codices non putem, praesertim cum scripturae, quas hi codices non easdem praebent, valde inter se diversae sint. Quae sint, ex indice, quem adieci, ubi eas asterisco designavi, cognoscas.

Circiter sexaginta lectiones exemplaris Fac cum scripturis Fickerti codicum manu scriptorum omnino non congruunt. Ut cognoscas, quales sint, plurimas affero: p. 39,23; 40,29; 68,31; 76,20; 79,25; 101,23; 104,1; 105,15; 109,8; 125,27; 136,24; 140,8; 142,12; 143,19; 149,17; 170,2; 175,10; 182,6; 183,24; 190,5; 211,23; 205,4; 210,7; 216,14; 217,22; 245,24; 254,14; 261,21; 262,14; 264,25; 276,15; 276,28; 277,8; 279,11; 285,5; 297,1; 299,2; 306,12; 309,27; 311,2; 316,16; 342,11; 344,27; 347,2; 358,6; 362,19.

Sed lectiones huius exemplaris cum codicibus nobis servatis mihi comparanti exemplar Fac cum codice V[13]) et P3[14]) artius cohaerere statim apparuit. Neque saepius,

---

[13]) Cf. Fick. ed. vol. II praef. p. X et XIII. — I. Buck, Seneca de benef. und de clem. in der Überlieferung, Tübingen 1908 p. 38. (V = Vratislavensis cod.) [14]) Cf. Fick. ed. vol. I praef. p. XXIV et XVII 7 (P3 = cod. Palatinus 3).

inprimis in libro qui est de cons. ad Marc., lectiones huius codicis cum codice g[15]) non congruunt. Ad horum exemplarium concentum confirmandum nonnulla affero exempla: p. 44,10 FacV obiratis, A obirati; p. 79,9 FacV coiere (P3 coierunt), A coorti sunt; p. 79,17 FacP3 sacramentum diversum, A sacramenta diversa; p. 81,27 FacV ante „lento" add. „non"; p. 82,23 FacV ad levissimos tactus pectora, A ad levissimos sonos pectora; p. 83,5 FacVP3 conterreat, A contineat; p. 84,4 FacV vigilia se i. ostendit, A vigiliam i. extendit; p. 87,17 FacV omnium sunt iracundi, A omnium habentur iracundi; p. 89,18 FacV saturi, A saucii; p. 92,13 FacV Platonem quam patrem imitatus sit, A patrem imitatus sit quam Platonem; p. 94,27 FacV calix, A canis; p. 101,12 FacV affligerimus, A effligerimus; p. 102,18 FacV add. „quod" ante „.quos"; p. 106,11 FacP3 lividam sua sanie offusam, A lividam incessus vaesanis offusam; p. 109,6 FacV casu ruunt, A cadunt; p. 116,19 FacP3 ad contactus (V tactus), A in contactos; p. 117,14 FacV non evocent sed ferant, A nec evocent et ferant; p. 120,21 FacV illis se succendi (P3 illi esuccendi), A illi se suscensere; p. 128,9 FacV Bedienum, A Betilienum; p. 128,13 FacP3 ingens, A ingentem; p. 128,22 FacV om. „quamquam aberrare"; p. 137,11 FacP3 si semper, A an semper; p. 141,23 FacVP3 venae clamore tumescunt, A oculi clamore exprimantur; p. 167,25 FacVg abiectam, A electam; p. 170,27 Facg in concivem, A in commune; p. 178,1 FacVP3g arenas aurum, A aurum harenis; p. 179,6 FacP3 tolerabile apparet, A tolerabile esse apparet; p. 180,22 FacVP3g pestis, A clades; p. 183,19 FacVg habet aetas n. quam punctum, A aetas n. quam puncti habet; p. 210,4 FacP3 quae statim enervant cum venerunt vitia, A om. „enervant cum"; p. 212,12 FacV timens, A pavens; p. 226,17 FacVP3 exercendo tranquillae, A exercendi tranquillius; p. 228,5 FacV „raptorem" om.; p. 230,21 (232,1) FacVP3 add. „adlisos magno vos (P3 nos) consensu in vitia rapit"; p. 236,28 FacVP3 cum toto sublimius, A cum totos sublime; p. 238,12 FacVP3 ne contemplationi q. intendere possum sine actione, A ne contemplatio q. sine a. est; p. 239,29

---

[15]) Cf. Fick. ed. vol. II praef. p. XI (g = cod. Gryphiswaldensis).

FacVP3 contemplationem elegit, A contemplationi inservit; p. 252,7 FacVP3 quod de officiis subduxeris, A quod subd. off. p. 254,23 FacVP3 honestae locus, A locus honestae; p. 273,18 FacVP3 excitari, A excidentem; p. 275,1 FacV aut Catonis vulnus iteratum, A aut Catonem quod volnera sua; p. 282,11 FacV quae quidem cum ipse faceres, A quoniam quidem cum illa faceres; p. 288,13; p. 289,5; p. 291,18; p. 301,20; p. 309,3.

His ex exemplis allatis statim elucet illos codices artius inter se cohaerere, imprimis cum saepius contra omnes ceteros eadem verba vel addant vel omittant. Artissime autem exemplar Fac cum codicibus VP3 cohaerere videtur, quia cum his plerumque consentit. Sed quae ratio reapse inter illos intercedat, dici non potest, cum de exemplari Fac nihil sciamus. Codex P3 vero in Italia exaratus esse videtur. Etiam codicem V ex Italia allatum esse ex nomine „Marci de Raphanellis" in fine huic codici adiecto concludere possumus.[16]) Exemplar Fac ipsum quoque haud scio an ex Italia in Hispaniam venerit ex eodem codice atque illi vel exemplari inde transcripto derivatum. Sed etiam fieri potuit, ut ex apographis horum codicum in Hispaniam translatis ibi Fac describeretur. Sin autem Fickert[17]) recte iudicavit codicem P3 saeculo demum XVI exaratum esse, — ipse enim rem in dubio reliquit — putare haud scio an liceat lectiones exemplaris Fac tum a Pinciano iam publici iuris factas in hunc codicem influxisse. Sed cum illi codices non semper congruant, vel existimare potes postea in illis nonnulla esse interpolata vel correcta, aut non ex uno, sed ex compluribus codicibus illos esse exaratos[18]), quare eos certa in genera dividere facile non est. Res non prorsus liquet. Id autem constare videtur eos omnes eidem traditionis stirpi esse attribuendos. Ceteroquin I. Marouzeau[19]) V eidem stirpi atque A adnumerandum esse demonstrare studuit, quod probare dubito. Nam lectionum differentiam his in codicibus, quae ex exemplis supra allatis facile cognosci potest, maiorem esse

---

[16]) Id iam Buck contendit, p. 38.
[17]) Fick. ed. vol. I praef. p. XXIV. [18]) V in de benef. et de clem. libris compluribus ex codicibus descriptum esse Buck (l. c.) suspicatus est. [19]) Rev. de phil. 37 (1913) p. 47.

puto, quam ut illos codices eodem ex apographo archetypi provenisse veri simile sit. Imprimis verborum series hic illic in codice V ab A tantopere differt, ut V itemque P3 et Fac peculiarem quandam praebere traditionis stirpem persuasum habeam.

Exemplar Fac interdum quoque cum aliis codicibus congruere consentaneum est. Qua ex re non facile quidquam efficere possumus, cum modo consentiant, modo dissentiant. Nempe in libro qui est de ira I Fac haud raro e a d e m p r a e b e t a t q u e B[20]), ut p. 62,5 FacVP3B ferrum apponimus, A ferrum demittimus; p. 69,22 FacVB qualis esse in malis, A qualis inesse malis. Perpauci loci, quibus Fac cum uno vel altero Pinciani codice nominato congruit, in indice reperiri possunt. De codice Fac haud scio an dici possit eum bono ex fonte provenisse, sed saepius correctionibus interpolationibusque esse depravatum, quod ex exemplis supra allatis atque indice adiecto perspicuum fit. Attamen in numero optimorum Pinciani codicum hoc exemplar habendum esse puto, quod Pinciano ipsi persuasum fuisse videtur, cum in dialogis quidem saepissime usitaverit.[21])

Nunc de codice Pa verba faciam. Hoc exemplar Pincianus in dialogorum libris 61 locis nominavit, quorum 16 cum optimo codice A congruunt, quod indice demonstratur. Hisce vero locis plerumque complures codices eadem praebent. Totidem fere locis Pa cum alio Fickerti codice manu scripto omnino non congruit, velut: p. 49,8; 110,5; 127,21; 135,10; 183,10; 184,12; 184,13; 220,23; 252,8; 273,4.

Hoc exemplar manu scriptum, quibuscum nobis notis artius cohaereat, mihi inquirenti cum codicibus D et E, Mediolanensibus[22]), et cum Pinciani exemplari Fr conexum esse statim apparet. Haud scio an etiam cum Palatino 4[23]), quocum saepius congruit, cohaereat. Quomodo codices coniuncti sint, ut demonstretur, affero haec exempla: p. 31,7 PaDEP4Fr potest („dignum" om.) tribuere sapiens, A tribuere sapiente; p. 44,15 PaDFr om. „agenda"; p. 50,27 PaD (p.m.) E alte,

---

[20]) Cf. Fick. ed. vol. II praef. p. XIV 6 (B = cod. Mediol. II). Qui codex librum de ira I solum praeter epistulas ad Luc. continet.
[21]) Cf. etiam Kiekeb. p. 11 sq. et Fick. ed. vol. I praef. p. XIV.
[22]) Cf. Fick. ed. vol. II praef. p. XII 14, 15.
[23]) Cf. Fick. ed. vol. I praef. p. XXIV et XVII 7.

A aliter; p. 65,23 PaFr ea quae invasit tenet, A ea tenet quae invasit; p. 84,4 PaDE didicerunt alii tenuissimis, A didicerunt ten. p. 84,22 PaDE quod in, A quod; p. 89,18 PaDEFr post „saucii" add. „sunt"; p. 104,12, PaDE om. „omnes"; p. 128,3 PaE tam meritus (Fr merito), A tam in merito; p. 128,22 PaE alio, A aliqui; p. 132,25 PaFr Parrhesiades, A Parrhesiastes; p. 140,8 PaFr obliti quantum sequatur a tergo spiculis ingentis invidiae sauciatae, A obliti quantum hominum retro sit et paucis invidentem q. s. a. t. ingentis invidiae; p. 210,4 PaD statura, A statim; p. 212,22 PaDE ascendit, A escendat; p. 235,24 PaDEFr minori (E vero minori), A maiori; p. 241,11 PaDFac antequam, A quam; p. 250,9 PaDEFr, „et tecta vel antiquae satis opulenta turbae" om.; p.263,5 PaDE dedignari, A indignari; p. 270,9 PaDEFr post „cogitare" add. „debemus"; p. 295,8 PaFrSch et in colorum, A et colorum; p. 304,18 PaDE sed nec mensuram, A sed mensuram; p. 330,11 PaDE tenacissimam memoriam, ceteri codd: tenacissima memoria.

Exempla, quae attuli, eiusmodi esse puto, ut quos nominavi codices ratione quadam inter se coniunctos esse contendere liceat.

Quoniam vero exemplaria Pa et Fr artius inter se cohaerent, bene convenit Fr ipsum quoque cum iisdem codicibus, quibuscum Pa consentire vidimus, saepius concordare. Ut afferam nonnullos locos; p. 8,1 Fr venantium deglutire (D deglutiret), A om. „deglutire"; p. 127,28 FrDE manu exercens, A manus exercens; p. 145,32 FrmD Cato noster, A quanto noster; p. 219,24 FrDEP4 laminae, A lamellae; p. 248,13 FrP4 sed frustra, A se frustra; p. 281,16 FrD nec (E ne) se, A nemo se; p. 291,18 FrDESch laturo, A ituro.

Alia exempla, quae codicum Fr et DE artiorem conexionem confirment, iam supra attuli eorum in numero, quae, ut codices Pa et DE inter se esse coniunctos demonstraretur, ascivi. Codices DE ex communi atque a codice A diversa stirpe esse derivatos cum J. Marouzeauo [24]) consentio. His cum codicibus etiam P4 affinitate conexum esse puto.

---

[24]) Rev. de phil. 37 (1913) p. 47.

Eidem igitur traditionis familiae exemplaria Pa et Fr adnumerari oportet. Illos autem codices omnes cum stirpe exemplarium FacVP3 artius non cohaerere apparere mihi videtur. Exemplaria Pa et Fr, quamquam multis locis falsa infuisse videntur, tamen saepius vera genuinaque conservasse censeo, ideoque non neglegenda sunt.

Restat, ut dicam exemplar Fr cum A congruere octo locis, quos ex indice cognoscas. Sed duplae circiter lectiones huius exemplaris cum Fickerti manu scriptis non consentiunt, ut afferam: p. 8,1; 18,12; 18,30; 53,9; 62,6; 62,18; 82,24; 86,1; 104,1; 117,14; 128,3; 136,3; 191,4; 206,9; 236,7; 255,16. Loci, quibus Pa cum aliis codicibus a Pinciano nominatis congruit, in indice inspici possunt.

Nunc perpauca de codice Pinciani domestico proferam. Cum optimo enim codice A lectiones huius exemplaris undeviginti locis appellati sexies concordant. Locos invenies in indice, sed hac ex re nihil erui potest, cum hisce locis saepius complures codices consentiant. Neque plura de hoc exemplari investigari possunt, cum Pincianus rarius id asciverit neque quae habeo exempla apta sint ad cohaerentiam certam cum aliis codicibus confirmandam. Nam lectiones huius exemplaris aut omnino cum alio codice non congruunt aut cum compluribus et diversis, ita ut nihil certius dici possit.

Similiter res se habet de exemplari scholastico vel Academiae Salmanticensis, quod quater decies, imprimis in libris qui sunt de consolatione ad Polybium et de brevitate vitae, a Pinciano ascitum est. Duobus locis eadem praebet atque A. Haud scio an artius cum exemplari Fr cohaereat. Nam quattuordecim locorum, quibus Pincianus lectiones ex hoc exemplari protulit, octo cum codicis Fr scripturis congruunt, qui sunt: p. 291,18; p. 292,25; 295,8; 304,12; 305,17; 312,24; 317,30; 323,25. Sed res non prorsus liquet, quod alii quoque codices nonnullis locis cum illis consentiunt. Attamen hoc exemplar eidem traditionis stirpi atque Fr adnumerandum esse veri est simillimum.

Ex quattuor locis, quibus Pincianus exemplar divae Mariae in dialogorum libris nominavit, nihil erui posse primo obtutu apparet. Lectiones ex hoc codice allatae in indice

inveniuntur, quarum duae cum A congruunt. De nonnullis horum exemplarium scripturis, quid ad Senecae contextum edendum valeant, infra dicam.

2.

Quibuscum codicibus nobis servatis Pinciani lectiones e codicibus nullo nomine allatis sumptae cohaereant.

Nunc iam opus videtur esse de lectionibus e codicibus non nominatim a Pinciano allatis disputare. Earum numerum plus quam dimidiam partem omnium scripturarum esse, quas Pincianus ad dialogorum libros attulit, iam supra commemoravi (p. 15). Quo ex fonte illae provenerint, haud facile inquirere licet, cum ex Pinciani verbis, quibuscum illas in medium protulit, nihil certi concludere possimus. Nam semper iisdem fere dictionibus utitur: „codicum lectio, omnia exemplaria, omnis scripta lectio, vetus lectio, quidam codices, omnia manu scripta exemplaria, codices correctissimi" vel similibus. Quibus ex verbis, ut diversa castigationum genera discernere possis, vel quo ex codice Pincianus illas sumpserit, fieri non posse, cum Kiekebuschio[25]) consentio. Nam nullius momenti est, utrum Pincianus „vetus lectio, quaedam exemplaria, codices correctissimi" an „manu scripta exemplaria, omnis scripta lectio, quidam codices" scripserit. At Pincianum his usum nominibus coniecturas suo ingenio inventas in medium protulisse non puto, sed castigationes illas reapse quibusdam ex codicibus eum cepisse mihi persuasum est.

Magna vero pars scripturarum cum optimo codice A consentit, de quibus disserere supervacaneum est. Nam hac ex congruentia Pincianum hunc codicem ipsum investigasse non licet evincire, cum illis locis plerumque omnium fere codicum congruant scripturae. Numerus autem eorum locorum, ubi Pincianus solus eadem atque A praebet, minor est, quam ut Pinciani notitia huius codicis efficiatur, cum summo iure putare liceat Pincianum, si illum optimum codicem in manibus habuisset, nobis saepius meliores daturum fuisse lectiones. Quibus locis scripturae codicum non nominatim ascitorum cum A congruant, ex indice adiecto, quo eas asterisco insignivi, cognoscas.

---

[25]) p. 16.

Sed perscrutandum est, quoad fieri potest, quibuscum aliis codicibus nobis notis illae Pinciani lectiones saepius congruant. Quarum lectionum quam institui collatione statim liquebat eas ex codicibus esse sumptas, qui affinitate quadam cum nostris manu scriptis coniuncti sunt. Sed enucleare non potui Pincianum certo quodam codice potissimum usum esse, cum lectiones allatae modo cum his, modo cum illis codicibus consentiant, quod tibi ipsi ex exemplis, quae affero, apparebit. Ut: p. 3,6 Pi[26])V[27]) hos, A nos; p. 3,12 PiD[28]) deiectiones imbrium, A deiectorum imbrium; p. 5,25 PiD(i.m.)ET[29]) P4[30]) renovata, A revocata; p. 7,26 PiTg[31]) D (s.m. P2—4 evulsit, A vulsit; p. 10,15 PiG[32])TP3P4 si, A sed; p. 11,5 PiT quamquam et, A quoniam etiam; p. 12,12 PiTP4 imperat dux, A imperantur dux; p. 19,12 PiGgP3P4 mortem aut finit aut transfert vos, A m. quae vos a. f. a. t; p. 25,12 PiP3 demissis, A dimissis; p. 30,4 PiDE inquis S. damnatus iniuriam accepit (E accipit), A inquit S. d. est i. a.; p. 32,21 PiD et impedit (E impellit) habet iram caret, A et impedit caret; p. 34,25 PiDE(i.m.)GP4 celsiora, A excelsiora; p. 35,11 PiDE immeditata effundunt, A meditate offundunt; p. 43,5 PiGP4 crepidatus ac iratus, A crepidatus auratus; p. 43,22 PiGP4 confirmantur, A consumuntur; p. 51,21 PiGDEP4 sine motu, A saevae manu; p. 52,6 PiVB[33]) P3 illa dispergi, A illa discedere; p. 52,15 PiDEP4 consistit, A constat; p. 54,19 PiDEP4 concussa, A excussa; p. 59,28 PiVB praerabida, A praerabidus; p. 62,15 PiGDEgP4 correctionem, A coercitionem; p. 63,2 PiBVg animus est et, A animus et; p. 77,32 PiDE advocatos consciscunt, A advocatos habent; p. 94,15 PiGDEP4 aegrae et, A aeger et; p. 119,18 PiG curam, A causam; p. 121,9 DEP2P3P4Gβ[34]) „iam" om.; p. 132,11 Pi „aliquid" om., βGEP3 „et aliquid" om.; p. 136,4 PiGβ virum dum

---

[26]) Pi = Pinciani lectio e cod. non nom.
[27]) De V cf. Fick. ed. vol. II praef. p. X et XIII.
[28]) De DE cf. Fick. ed. vol. II praef. p. XII 14, 15.
[29]) In lb. de prov. lectiones saepius cum T congruunt, de quo cf. Fick. ed. vol. III praef. p. V. (i. m. = in margine).
[30]) De P4 cf. Fick. ed. vol. I praef. p. XXIV et XVII 7. Ibidem cf. de P2 et P3. [31]) De g cf. Fick. ed. vol. II praef. p. XI 6. (s.m. = secunda manus.) [32]) De G cf. vol. I praef. p. XX d.
[33]) In lb. de ira I B = Fick. cod. Mediol. II, cf. vol. II praef. XIV 6.
[34]) β = cod. Berol. cf. Fick. ed. vol. II praef. p. XIII c 2.

decet, A virum decet; p. 147,11 PiDEP4 quas ingenti in piscina, A quas ingentis in p.; p. 149,19 PiGE matutinus, A maturus; p. 157,9 PiB[35]) P3 philosopho, A philosophio; p. 157,10 PiVDP2F[36]) add. „est" post „confessa"; p. 161,21 PiDEGP4 praevisa, A provisa; p. 167,3 PiVgD quod cepisti, A quod colligit; p. 173,9 PiVg om. „non potuisse"; p. 175,2 PiBGgP4 in ipsum trans flumen, A inlapsum terris flumen; p. 176,7 PiF sint, A sit; p. 177,1 PiFP3 toto ore, A tot ore; p. 180,4 PiGVP3 in illa reorum libertate, A in illa libertate; p. 184,8 PiVDgP2P3F defatigantur, A defatigavit; p. 192,8 PiBG facilem, A facilemque; p. 198,23 PiP2P4E cuiusque, A cuiusquam; p. 208,22 PiVP3Col[37]) om. „enim"; p. 210,12 PiVD (s.m.)P3 om. „et"; p. 212,7 PiDE exaequat, A ex aequo; p. 214,19 PiVOrt[38]) om. „cur aurum disponitur"; p. 217,8 PiDE nisi quod quidam . . ., conspuerunt, A nisi quidam . . . conspuerant, p. 237,15 PiVP3Col extraneo, A alieno; p. 242,3 PiGOrt penderem, A prenderem; p. 247,1 PiGDOrt gravius, A gravis; p. 251,21 PiDE delituerint . . . absconderint . . . velint, A delituerit . . . absconderit . . . velit; p. 256,9 PiGV (i. m.)DEP4Ort add. „agendum est"; p. 266,18 PiBGDP4 enim, A est; p. 272,5 PiDE om. „is"; p. 278,11 PiEP2P4 semper repentibus, A subrepentibus; p. 285,8 PiGDEP4 corrumpebantur, A rumpebantur; p. 302,18 PiV honorum, A honores; p. 307,25 PiVD (i. m.)g voluntas, A voluptas; p. 308,7 PiBVg multus, A multum; p. 320,8 PiDE Caesarem esse; p. 326,9 PiBGP4Ort, a vita; p. 332,8 PiBVP3 tot tantosque; p. 335,21 PiGDP4 in Albano suo cesserit; p. 342,18 PiBgP3 incursitantis, A incursantis; p. 343,3 PiDg muliebris, A mulieris; p. 356,2 PigP3P4 si hoc, A haec; p. 366,3 PiBGDP2P4 construuntur, A instruuntur; p. 370,9 PiGP3 manus (BP4 manum) saepius ad id recurrere, A manum saepius ad id referre. Sufficiant exempla!

His ex exemplis Pinciani codices non nominatos quoque cum illis nobis servatis cohaerere satis elucet. Sed quae ratio re vera inter illos codices omnes intercedat, certo in-

---

[35]) Cod. Berol. cum Fickerto in libris de ira nota β, in ceteris dial. scriptis nota B designavi.

[36]) F = cod. Florent. cf. Hermes, ed. praef. p. XIII.

[37]) Col = cod. Coloniensis Gruteri, cf. Fick. ed. vol. I praef. p. XVII 7. [38]) Ort = cod. Ortelianus, cf. Fick. ed. vol. III praef. p. VI.

telligi non potest. Quibus vero ex codicibus Pincianus eas lectiones protulerit, nos dicere non posse constat, cum modo cum hoc, modo cum illo codice magis congruant. Sed castigationes cum compluribus nobis servatis codicibus consentire profecto mirandum non est, quoniam Pincianum „quindecim et eo pluribus exemplaribus manu scriptis et pervetustis" usum modo ex illo, modo ex hoc eas sumpsisse consentaneum est. Neque dubium est, quin illae Pinciani scripturae e codicibus manu scriptis provenerint, qui eidem familiae sunt adnumerandi atque illi, quibuscum consentiunt. Praeterquam autem quod permagna scripturarum pars cum A congruit, qua ex re nihil nos statuere posse iam supra dixi, permultae omnino cum nullo codice asservato consentiunt, sed proprias dant lectiones, quae quam auctoritatem habeant, infra videbis, ubi de nonnullis verba faciam.

3.

De Pinciani coniecturis.

Iam de tertio castigationum genere quaeramus necesse est: de coniecturis. Earum numerum 265 esse iam supra dixi. Verbis „castigandum puto, legendum puto, scribe, lege contra omnia exemplaria" vel similibus eas in medium profert. Complures vero coniecturas cum lectionibus codicis A congruere ex indice cognosces. Hac ex re intellegere possumus, qua splendida usus ratione Pincianus Senecae librorum contextum emendare scierit. Nam eas coniecturas re vera ab eo esse inventas apparere videtur, cum codicem A eum non novisse veri esse simillimum iam commemoraverim. Itaque, quod saepius etiam aliis in codicibus id, quod coniecit Pincianus, inest, inde non concludam Pincianum falso lectiones codicis cuiusdam sub nomine coniecturae a se factae protulisse. Coniecturae quoque, quod ipse videbis, tales sunt, ut eum ipsum, linguae Latinae atque Senecae elocutionis peritissimum, illas invenisse suspicari nobis liceat. Praeterea ei talem fraudem crimini dandam esse non puto, cum rem criticam in scriptoribus antiquis factitandam plurimi aestimaverit, quod ex eius verbis, quae attuli p. 6 sq., cognoscere possumus. Accedit, quod si coniecturam non totam suo ingenio inventam edidit, dilucidis verbis „adstipulante omni scripta lectione; partim e coniectura, partim

e vetere lectione" vel similibus usus eam protulit. Sed fieri potuisse, ut neglegentia lectionem codicis cuiusdam sub coniecturae nomine invitus ederet, cum exemplarium, quae inspexit, copia haud parva esset, non aliter sentio atque Kiekebusch.[39]) Quarum coniecturarum plurimas, quae genuinae lectionibus codicis A confirmantur, hic iam affero, ut magis perspicuum fiat, quantopere Pincianus Senecae elocutionem et genus scribendi perspexerit atque noverit. Velut: p. 35,27 eadem (eodem)[40]); p. 37,16 Castoris (castra); p. 37,27 demiserit (dimiserit); p. 58,7 suffugia (suffragia); p. 74,8 nolentium (volentium); p. 85,15 modum (domum); p. 115,28 at quae (atqui); p. 120,15 fortuna (fortunatam); p. 130,29 albi (alibi); p. 131,7 itaque et tempus (itaque tempus et); p. 140,29 quid (quod); p. 183,24 uno modo (imo modo); p. 197,4 optimum factu (optimum factum); p. 198,23 cuiusquam (cuiusque); p. 256,1 vivorum (virorum); p. 286,23 vestra (nostra); p. 367,11 aviae (a me). Haec quae exscripsi exempla sufficiant, cum omnia cetera in indice inveniantur.

Nonnullas Pinciani coniecturas optimas esse vel inde cognoscitur, quod editores Senecae librorum recentiores eas in verborum contextum receperunt. Quas in Hermesii editione inveni, affero: p. 4,20 spectandi; p. 31,22 quod minentur; p. 42,2 dedidicerat; p. 43,18 cothurnatus; p. 62,25 non contineberis; p. 63,21 lege iubebo; p. 72,9 vitalia; p. 79,28 abductum; p. 81,7 istic irae; p. 93,20 rarior; p. 123,9 Praexaspes; p. 124,14 Harpagus; p. 131,24 dicentes; p. 142,2 computandum; p. 150,11 iam mortalitas; p. 156,9 occurres; p. 158,17 convertis te; p. 168,21 constabant; p. 174,25 perstringere; p. 175,11 tepidissima; p. 179,3 videamus; p. 189,27 avocetur; p. 190,10 a veris; p. 200,13 erroribus; p. 201,25 diduci; p. 224,20 pontem; p. 243,23 pretiosive; p. 260,13 in bello; p. 308,23 erepsissent; p. 315,3 quid; p. 317,8 tam; p. 324,6 es; p. 334,8 querimonias; p. 336,16 altius; p. 349,13 insiticia; p. 351,11 porrexerint; p. 355,14 i nunc.

His ex exemplis et supra allatis facile intellegitur, quanto ingenii acumine Pincianus Senecae contextum emendaverit.

---

[39]) Cf. p. 26 — Kiekeb. aequam sententiam de soniecturis a Pinciano ad libros de benef. et de clem. factis professus est, p. 24 sqq.

[40]) Uncis inclusam, quam Pincianus coniectura emendavit, addo lectionem.

Etenim quod saepius coniecturas fecit, ubi iis facile carere possumus, sane ei ignoscendum est, cum semper fere his locis lectio codicum, quos habebat, peior esset, quam ut probari posset. Coniecturae autem, quas verbis illis: „adstipulante omni scripta lectione" vel „partim e coniectura, partim e vetere lectione" dedit, magis ei ipsi an suis codicibus attribuendae sint, explorari non posse consentaneum est. Quid singulae ad textum emendandum valeant, infra cognosces, ubi de nonnullis fusius sum dicturus.

Iam calculis subductis ea, quae liquere videntur, perpaucis complectar verbis. Quibus temporibus illi codices, quos Pincianus nomine affert, exarati sint, notum non est, sed cum optimo quidem codice A artissime cohaerere non videntur. Exemplar Fac vero eidem codicum familiae atque VP3 adnumerandum esse puto. Exemplaria Pa et Fr, et ni fallor etiam Sch, ex isdem fontibus atque exemplaria DEP4 deducta videntur esse. Duas vero illas classes manu scriptorum codicum peculiares quasdam traditionis stirpes atque ab A diversas exhibere mihi persuasum est. De lectionibus e codicibus non nominatim prolatis nihil dici potest nisi hoc: cum codicibus, quos nominamus deteriores, artius cohaerent; sed quibus ex codicibus sumptae sint, non apparet, cum modo cum his, modo cum illis magis congruant. P i n c i a n u m c o d i c e m A n o n i n s p e x i s s e l i q u e t. Quin illae lectiones, quas ex codicibus se afferre contendit, re vera e codicibus manu scriptis provenerint, non est cur dubitemus. Neque veri esse simillimum puto Pincianum fraudulenter codicis cuiusdam lectionem sub coniecturae nomine protulisse, quamquam interdum cum codicibus nobis notis congruunt.

III.

De singulis Pinciani lectionibus et coniecturis.

Nunc de nonnullis peculiaribus Pinciani lectionibus coniecturisque disseram, quam auctoritatem ad dialogorum textum edendum habeant, ut cognoscamus. Nam neque omnes affero neque de omnibus verba facio, cum longum sit neque fructum hoc labore dignum futurum esse putem. Etenim de

multis quae cum A congruunt lectionibus dicere supersedere possum, cum procul dubio genuinae sint. Multas autem alias statim refutare possumus, cum earum loco hisce temporibus meliores codicis A habeamus scripturas. Sed Pincianus ipse quoque omnes lectiones a se allatas Senecae ut genuinas attribuendas esse minime censuit, immo tria in genera eas divisit: 1. quae certe Senecae tribuendae, 2. quae haud scio an Senecae tribuendae sint, 3. quae „admonendi magis lectorum causa proferuntur".[1])

Cui vero generi singulae scripturae adnumerandae sint, ex verbis supra allatis „vetus lectio, codices correctissimi, fidelior lectio, manu scripta exemplaria" vel similibus, quibuscum Pincianus castigationes protulit, vix concludi posse iam Kiekebusch dixit.[1]) Sed interdum ipse lectiones editas repudiat falsas, quas tertio generi adscribendas esse apparet neque de illis dicere necesse est. Plerumque autem ex illius verbis eruere non licet, quanti aestimandae sint prolatae scripturae. Itaque nonnullas eligo earum, quae genuinae rectaeque videntur esse, plurimis, quae iam in Hermesii editionis contextu vel apparatu critico exstant, sane exceptis. Omnes vero indice complector, ut facilius de illis iudicium fieri possit.

De providentia.

p. 6,29 (3,3) A „ut ex voto illi fluxerint omnia, ut ante votum". Pi[2]) „immo et ut ante votum". Haudquaquam Pinciani lectio inepta videtur esse. Neque enim dubium est, quin enuntiato illo „ut ante votum" (sc. „fluxerint illi omnia") gradatio quaedam exprimatur prioris sententiae. Qua de causa hoc loco verba „immo et" perbene quadrant, vel potius, ut hic ponantur, flagitamus. „Immo" inde a temporibus imperatoriis cum notione augendi usitatum est, cf. Plin. nat. hist. XXXIV 1,1; Quint. inst. II 2,8; Suet. Aug. 65,4. Ex scriptis Senecae, qui prae ceteris hoc vocabulo saepissime usus est, nonnulla affero exempla: ep. 58,1 „quanta verborum nobis paupertas, immo egestas sit"; Agam. 6 „video paternos,

---

[1]) Pinc. praef. p. 3v; cf. etiam Kiekeb. p. 28.

[2]) Quod interdum Pinciani lectio cum codice quodam recentiore congruit, hic afferre supersedeo. — Pi = Pinciani lectio e codd. non nominatis.

immo fraternos lares". Ex dialogorum libris, in quibus Seneca „immo" opinione saepius adhibuit, hos exscribo locos, ut: I 3,7 „multa milia . . . post fidem, immo per ipsam fidem trucidata"; VII 7,2 „quid dissimilia, immo diversa compositis?"; VII 16,3 „divina quidni sufficiat, immo superfluat"; VIII 4,2; X 12,9; X 15,4 multisque aliis locis. Ad Pinciani lectionem confirmandam duo quae habeo exempla imprimis apta sunt: dial. V 1,5 „amicitiam dici? immo etiam necessitudo"; XI 12,2 „nec posse tibi subvenire, immo etiam ultro expectare". Ultimis ex exemplis facile cognoscitur hoc quoque loco verborum coniunctionem „immo et" genuinam esse rectamque. Nam quod „et" hic notionem habet particulae „etiam", omnino nullam praebet difficultatem, cum Senecam saepissime „et" pro „etiam" usurpasse notum sit, ut exempla exscribere supersedere possim. Ceteroquin facillime fieri potuit, ut illa duo verba, cum per compendia scripta essent, exciderent.

p. 12,1 (4,7) A „grave est te//rere ceruicib iugum", Pi „grave est ferre teneris cervicibus iugum". Hermes verba „tenerae cervici" — sic Muretus coniecerat — in verborum contextum recepit, quod non probo, cum Pincianum lectionem rectiorem dare mihi persuasum sit. Formam quandam adiectivi „tener" hoc loco genuinam esse primo obtutu liquet. Nempe pluralem numerum „cervicibus" teneri posse puto neque, cur mutandus sit, intellego, praesertim cum in codice A ipso quoque „cervicibus" legatur. Etiam verbum „ferre", quod praebet Pinciani codex, bene quadrat, quod, iuxta „teneris" in A cum esset positum, facile depravari atque excidere potuit. Nostro sermone hanc sententiam sic vertam: „Für die noch zarten Nacken ist es schwer, das Joch zu tragen".

Haud scio an melius „ferre" post „teneris" ponatur, cum verbum „ferre" in codicis A corruptela „rere" inesse videatur. Itaque fortasse sic legendum: „grave est teneris ferre cervicibus iugum".

p. 18,29 (6,5) A „quanto magis versaverit aliquis et undique inspexerit, meliora maioraque", Pi (Fr) „quanto magis versaverit aliquis et undique inspexerit, tanto videbit meliora maiora quae". Quamquam non nego scripturam codicis A posse intellegi, tamen eam apparatam esse dicere non vereor,

cum lectio exemplaris Fr Senecae generi dicendi non repugnet. Itaque fieri potuisse puto, ut verba „tanto videbit" in A exciderint et illud Pinciani manu scriptum exemplar servaverit rectum. Sed alia ratione nos interpungere oportet atque fecit Pincianus. Verba enim „maiora" et quae", quod „quę', scriptum ex „que" depravatum esse videtur, coniungenda sunt, ut legatur: „maioraque". Quare totum locum sic scribam: „vobis dedi bona certa, mansura; quanto . . . inspexerit, tanto videbit meliora maioraque: permisi vobis . . . . ."

De constantia sapientis.

p. 25,12 (4,2) A „aut dimissis in profundum catenis Neptunum potuisse contingi", Pi „aut demissis in profundum catenis Neptunum potuisse constringi" („constr." ca.) De lectione „demissis", quam Pincianus ex manu scripto excepit, verba facere supervacaneum est, cum rectam esse prorsus appareat. Syllabae „de" et „di" saepius perperam confunduntur, ut p. 26,18; 33,7; 33,24.[3])

Tum Pincianus coniecturam „constringi" a Bentleio postea repetitam, quam equidem meliorem rectioremque quam codicis A lectionem esse puto, protulit. Verbo „constringere" id exprimitur, quod „ille stolidus rex" spectaverat, ut mare in catenas coniceret. Neque „contingi" aptum est, cum re vera mare, quod Seneca hic nomine Neptuni appellat, catenis sit contactum, cum eas in mare demitteret, at non constrictum. Vel ex totius capitis sententiarum conexu „constringi" legendum esse apparere videtur. Nam ut iniuria sapientem tangere potest, non laedere, ita catenae Neptunum, id est mare, tangere, sed non constringere potuerunt.

p. 30,4 (7,3) A „inquit", Pi „inquis". Pinciani lectionem probandam esse veri simillimum est. Nam Seneca capite 6 exeunte Serenum adlocutus: „ergo ita habe, Serene" etc., cap. 7 ineunte pergit: „non est, quod dicas" etc. Omnia igitur, quae hic scriptor disputat, spectant ad Serenum ipsum. Itaque Senecam etiam hoc loco Serenum contra dicentem fecisse puto, quod verbo „inquis" fit.

---

[3]) Cf. Gertz, ed. p. 436, 3 b et Hermes, Quaest. crit. in L.A.S. Epist. moral. part. II, Meursae 1874 progr. p. 22.

p. 31,18 (8,3) A „non habet ubi accipiat iniuriam", Pi (ca) „non h. unde a. iniuriam" Non est dubium, quantum video, quin Pinciani coniectura recta sit. Koch eam in textum receperat, sed editorum posteriorum Gertz eam prorsus abiecit, Hermes afferre ausus non est nisi in notis criticis. Eos nimis magna pietate in codicem A commotos illi coniecturae locum in contextu non dedisse existimo. Sed mutatio particulae „ubi" in „unde" tam pusilla est, ut sine dubio illorum verborum compendia in codicibus describendis mutata esse opinari liceat. Nam „unde" genuinum esse tota ex sententia elucet. Ut „ab homine" et „a fortuna" legimus, sic aptissime „unde" recipi oportet in textum.

p. 41,25 (17,2) A „nemo risum praebuit qui ex se cępit", Pi „coepit". Littera ę verbi „cępit" in A etiam oe significare posse videtur, quamquam plerumque ae esse non nego, cf. p. 35,7 „cępit"; p. 39,25 „cętu"; p. 298,2 „pręlio". Itaque non dubito, quin „coepit" hic quoque legi oporteat. Koch idem coniecit, cum diceret:[4]) „cępit h. e. coepit, quo risus a nobis ipsis occupatus significatur." Proximo exemplo a Seneca allato demonstratur eum, qui ex se coepit, risum aliis non praebere. Germanice sic dicam: „Niemand gibt (anderen) Stoff zum Lachen, der mit sich beginnt." Vatinius semet ipsum ridendum fecit, ita ut aliis ridendi occasionem demeret.

p. 43,2 (18,3) A_1 „languidos sono et, ni facta nosses suspectior", Pi „languidus sono et infracta voce suspectior." Sententia, quae est in verbis „ni facta nosses", hoc loco aliena neque ad totam de Chaerea tribuno narratiunculam quadrat. Qua de causa Gertz „et in pacta noctis" scripsit, quod rectum non puto, cum Senecam de Chaereae sermone locutum esse exspectemus. Splendida igitur, quantum video, est Pinciani lectio, quae re vera provenit[5]) e codice scripto. Sed haud scio an melius sit cum Castiglionio[6]) „languidos", ut in A exstat, in „languido" mutare, quod Hosius[7]) quoque probavit, praesertim cum mutatio magna non sit. Cum „sono" verbum „languido" sequeretur, facile littera s διττογραφίᾳ

[4]) Ed p. 32, 29 adn. crit.
[5]) Hermes eam falso lectionem editt. vett. vocat.
[6]) Athenaeum 9 (1921) p. 181 et Electa Annaeana, Tifernum 1911.
[7]) Berl. phil. Woch. 1912 p. 300.

quam appellamus bis poni potuit.[8]) Qua mutatione simul cum Pinciani lectione recepta structura totius enuntiati fit optima, cum verba „languido sono" et „infracta voce" bene inter se respondeant.

De ira I.

p. 57,14 (10,4) A „ita, inquit, utilis affectus est, si modicus est", Pi „ira, inquit, u. a. est, si m. est". Si Gertzii[9]) sententiam sequimur, qui in eodem capite (H. p. 56,31 sqq.) verba „ut irae metum, i. i., t. cupiditatem" delenda esse contendit, cum Pinciani codice „ira" pro „ita" legi necesse esse mihi videtur. Nam cum toto capite de affectibus summatim agatur, sententiam, qua denuo de ira dicitur, ex verbo „ira" incipi probabile arbitror.

p. 61,21 (14,3) A „errantem per agros", Pi „errantes per agros". Mea opinione numerum pluralem „errantes" scribi rectius est, cum toto capite numerus pluralis adhibeatur. Verbis „peccantis" — „errantis" (§ 2) etiam hic in fine argumentationis „peccantibus" — „errantes" respondere veri simillimum est.

p. 62,5 (15,2) A „ferrum demittimus", Pi (Fac) „ferrum apponimus". Lectio codicis A recta mihi non videtur, quod verbum „demittere" cum „pecoribus" coniunctum displicet, cum „apponere" hoc loco optimo sensu non careat. „Morbidis pecoribus" enim ferrum apponitur ut medicamentum, quomodo hoc verbum saepius a scriptoribus Latinis usurpatum est.[10]) Verba coniuncta „ferrum apponimus" minus usitata haud scio an a scriba quodam in margine verbis „ferrum demittimus", quae coniuncta cum „faucibus, in pectus" etc. saepenumero usurpantur, illustrata sint. Qua via illud „demittimus" minus aptum in verborum contextum venire potuit.

p. 62,5 (15,2) A „portentosos fetus extinguimus, liberos quoque, si debiles monstrosique editi sunt, mergimus", Pi (Fr) „. . . editi sunt, abigimus". Res aequaliter fere hic se habere videtur atque loco qui antecedit. Verbum „abigimus", quod optime vocabulo „extinguimus", cum habeat notionem latio-

---

[8]) Cf. Gertz, ed. p. 424 I a, ubi exempla inveniuntur.
[9]) Stud. crit. p. 74. [10]) Cf. Thes. l. L. II p. 301,37 sqq.

rem, respondet, in margine additamento „mergimus“ explicatum videtur esse, quod tum in codicis A contextum irrepsit.[11])

p. 63,20 (16,5) A „sed voltu legis et illa sollemnia verba leni magis gravique quam rabida voce concipiam et agi iubebo,“ Pi (ca) 1. „sed voltu leni et magis gravi quam rabida voce illa sollemnia verba legis concipiam et agi iubebo;“ 2. „illa sollemnia verba concipiam et lege agi iubebo“.[12])

Pinciani coniecturam „leni“ pro „legis“ probabilissimam esse puto. Nam causae, quas I. I. Cornelissen[13]) affert, cum et ipse pro „legis“ coniecisset „lenis“, vix refutari possunt. „Non intellego“, inquit, „voltu legis. Estne voltu legitimo an voltu, qualem magistratum decet? Si hoc recte, qualis quaeso est? Haereo . . . Promittit ni fallor, se placido vultu verba sollemnia concepturum coll. 19,2 ‚cuius (sc. iudicis) tum maxime placidus esse debet et in statu voltus, cum magna pronuntiat . . . .‘ Placidus et lenis prorsus idem valent et vulgo uno tenore usurpantur et ab aliis et ab ipso Seneca. Cf. dial. V 5,1.“ Sic iure Cornelissen! Nam verba „voltu legis“, cum intellegi non possint, certe depravata sunt. Sed melius videtur esse quam „voltu lenis“, quod Cornelissen proposuit, id quod Pincianus emendavit: „voltu leni“, quo modo verba „voltus“ et „lenis“ artius conectuntur. Gertz[14]) ipse quoque „voltu leni“ coniecit.

Nempe cum Pinciano „legis“ post „illa sollemnia verba“ addere fortasse supervacaneum videtur, quamquam haec coniectura certe commemoratu digna neque mala est. Atqui ipse illa non contentus alteram protulit, cum a n t e verbum „agi“ „lege“ inserendum esse censeret, qua repudiata Hermes Gertzii[15]) coniecturam „agi l e g e“ in contextum recepit. Sed Pinciani verborum positio multo gravior aptiorque est, praesertim cum vox „lex“ illa lectione „voltu leni“ pro „legis“ recepta antea nondum allata sit.

Quoniam vero hac in enuntiatione multa corrigenda sunt, (etiam illud „que“ adiectivi „gravi“ deleamus necesse est,

---

[11]) Term. tech. „partum abigere“ cf. Thes. l. L. I 96.
[12]) Hermes Pinc. coniecturam non recte adnotavit.
[13]) Coniectanea Latina, Daventriae 1870 p. 3.
[14]) Stud. crit. p. 77. [15]) Ed. p. 68, 15 adn. crit.

quod adiectivo „leni" post substantivum „verba" addito interpolatum esse apparet) totius sententiae structuram depravatam esse haud scio an dici possit. Qua de causa Pinciani verborum ordinem probare audeo, quo accepto, quomodo factum sit, ut „legis" pro „leni" scribatur, facilius intellegitur. Ergo totum locum sic scribendum esse puto: „sed vultu leni; et magis gravi quam rabida voce illa sollemnia verba concipiam et lege agi iubebo".

De ira II.

p. 78,25 (9,1) A „certatur ingenti quidem nequitiae certamine", Pi (ca) „certatur ingenti quodam nequitiae certamine". Koch Pinciani coniecturam in verborum contextum recepit, Hermes autem eam tantum in apparatu critico attulit. Meo iudicio et ex positione et ex enuntiati sententia „quodam" genuinum esse apparet. Verba „quidem" et „quodam" facillime commutari potuerunt, quod compendiis scripta erant.[15a])

p. 84,4 (12,4) A „didicerunt tenuissimis et adversis funibus currere", Pi (Pa) „didicerunt alii tenuissimis etc." Quo loco „alii" addendum esse puto, quod etiam a manu posteriore in codice A adiectum est. Nam in omnibus huius enuntiati partibus, quibus Seneca novos hominum affert ordines, quorum animus, quodcumque sibi imperavit, obtinuit, verbis „quidam, alius, aliis" similibusque utitur. Itaque pronomen „alii" in codice A excidisse censeo.

p. 101,1 (31,6) A „adulantisque dominum feras", Pi „adulantesque domino feras". Pinciani codices non nominati rectam servavisse videntur lectionem. Quotiens enim Seneca verbo „adulari" usus esset, perscrutatus[16]) septies in eius scriptis inveni. Quater absolute (dial. V 17,1; clem. II 2,2; benef. III 30,5; nat. quaest. IV praef. 9), semel, et id hoc loco, de quo disputamus, cum accusativo coniunctum usurpatur; bis cum dativo: et cum dativo personae (dial. VII 12,3) et cum dativo rei (dial. VII 2,4). Hoc verbum inde a Cornelio

---

[15a]) Pinciani coniecturam Georgii quoque probat, postquam Muretum benef. IV 19,2 item „ingenti quodam" recte coniecisse professus est. Cf. Textkrit. Beiträge zu Seneka, Philol. 84 (1929) p. 112, quae commentatio post examen rigorosum habitum in manus meas venit.

[16]) Cf. Thes. l. L. I p. 877 sqq.

Nepote saepius cum dativo coniunctum usitatur (Cf. Nepos Att. 8,6; Curt. Ruf. IV 1,19; Liv. III 69,4; XXXVI 7,4 etc.), ita ut postea accusativus rarissime inveniatur scriptis Taciti exceptis, in quibus hoc vocabulum nisi cum accusativo positum non exstat, cum Quintilianus illud tantum cum dativo coniungat.[17]) Qua de causa deliberandum est, an Seneca etiam hoc loco „domino" scripserit, id quod dedit Pincianus, cum „dominum" a librario scriptum esse putem, qui solum huius verbi usum, quomodo usurpetur Ciceronianis temporibus, noverit.

p. 101,23 (32,1) A „inhumanum verbum est et quidem pro iusto receptum ultio et talio, non multum differt . . . . nisi ordine," Pi (ca) „inhumanum verbum est et quidem pro iusto receptum ultio et a contumelia non multum differt nisi ordine." Codicis A lectionem corruptam esse apparet. Multas, quas fecerunt viri docti, coniecturas, hic afferre supersedere possum, cum eas rectas non esse apertum sit.[18]) Maxime vero Pinciani emendatio mihi placet. Editores fere omnes recentiores verba „ultio et", quod ea putaverunt esse glossema, deleverunt, sed mea opinione „ultio" hic spurium non est, quo verbo, a Cicerone Caesareque non usurpato, cum scriptores inde a Caesarianis temporibus saepius utuntur (cf. Liv. VII 30,14; XXXI 24,1; Petron. sat. 106,4; 132,2; Iuv. XIII 2; 190; Tac. ann. II 13; III 7 alibi), tum imprimis etiam crebrius Seneca (Cf. Med. 25; 896; dial. V 5,8). Illud „talio" ex verbis „a contumelia", qualis notio hoc loco desideratur, depravatum est, propterea ni fallor quod „contumelia" compendio scriptum erat. Lectionem „a contumelia", quae aptissima est, a Vogelio quoque prolatam iam I. Feldmann[19]) probavit. Sic igitur arbitror esse legendum: „inhumanum verbum est et quidem — quo verbo scriptores Latinos etiam adversative uti liquet — pro iusto receptum: ultio; et a contumelia non multum differt nisi ordine."

p. 103,13 (32,6) A „contempsisset Romanum patrem", Pi (ca) „contempsissem Romanum patrem". Permultas fece-

---

[17]) K. Nipperdey-Witte, Corn. Nepos erkl., Berlin 1913 ad Att. 8,6. — C. F. W. Müller, Syntax des Nom. und Akk. im Lat., Leipz. 1908 p. 121, sq. — Kühner-Stegmann, Ausf. Gram. der lat. Spr., Hannover 1912 II 1 p. 259i. [18]) Cf. Hermes, ed. p. 101 adn. crit.

[19]) Observationes ad Senecam criticae, Ostrowo 1887 p. 10.

runt viri docti coniecturas, ut emendarent codicis A depravationem, quas afferre omitto.[20]) Nam omnes verum non tangere puto. Sensus huius loci est: Romanus pater contemnendus esset, si iram timore de se ipso permotus compescuisset, sed compescuit pietate, i. e. erga filium alterum amore. Qua de causa aut cum Hermesio secundum editionem Bipontinam „contempsisset" aut potius cum Pinciano „contempsissem" scribendum esse persuasum habeo, cum Seneca hic suas ipsius cogitationes proferat.

De ira III.

p. 109,5 (1,4) A „quia non eunt, sed cadunt", Pi (Fac) „quia non eunt, sed casu ruunt." Pinciani lectio ex exemplari Fac allata probanda videtur. Nam Senecam, quamquam crebro substantivum „fulmen" cum verbo „cadere" coniungit (cf. clem. I 8,5 „ut fulmina paucorum periculo cadunt"; nat. quaest. II 14,1; Thy. 358; Agam. 534; Phoen. 60 al.), tamen hoc loco „casu ruunt" scripsisse iure suspicor. Fulmina de caelo cadere hic Senecam dicere in animo habuisse adeo non puto, ut profiteretur, quanta velocitate fulmina caderent, quod duobus illis verbis „casu ruunt" multo clarius significatur quam simplici „cadunt". Accedit, quod „cadunt" facillime ex „casu ruunt" oriri potuit. Iam Ovidius illa verba coniuncta usurpavit: pont. IV 3,36 „omnia sunt hominum tenui pendentia filo et subito casu, quae valuere, ruunt"; apud Horatium quoque similia legimus: carm. II 10,10. Quanta vero vi tempestates, imbres, fulgura, nives cadere de caelo soleant, ut dicatur, scriptores antiqui verbum „ruere" satis saepe adhibuerunt, quod ut demonstrem, nonnullos locos affero: Val. Flacc. I 616; IV 663; Mart. III 100. Denique non omittam locum ex Senecae dialogis exscriptum hic proferre, quo Seneca simili modo verbo „ruere" usus est: IX 3,3 „qui ad pecuniam luxuriamque cursu ruentis prensat ac retrahit." Quo exemplo allato codicis Fac scriptura confirmari videtur.

p. 113,27 (5,5) A „peior est quam luxuria", Pi (Fac) „peior est etiam quam luxuria". Facile suspicari potes in A particulam „etiam", quae erat post „est", ἁπλογραφίᾳ quam appellamus excidisse, praesertim cum abbreviationibus scripta

[20]) Cf. Hermes, ed. p. 103 adn. crit.

essent. Hocce vero loco haud male illud „etiam" quadrat. Nam Senecam, quid mali ira singulis hominibus afferatur, professum novam, quam de ira est prolaturus, sententiam particula „etiam" auxisse veri simile est.

p. 119,13 (10,2) A „sunt quaedam praenuntia", Pi (Fac) „prognostica". Fortasse lectio a Pinciano ascita in verborum contextum recipienda est. Nam verbum „prognostica", quod quidem saepius usurpatum in litteris Latinis, ut Cic. de div. I 8 alibi; Quint. inst. V 9,15, excellentem hoc loco praebet sententiam, non satis notum fuisse puto, ita ut facile depravari vel glossa illustrari posset.[21]) Aequaliter res se habere videtur in dial. III 15,2, ubi nescio an etiam glossema in contextum codicis A irrepserit (cf. sup. p. 34). Pro genuina igitur lectione „prognostica" in codicem A glossema „praenuntia" receptum esse videtur.

p. 128,22 (19,1) A „quamquam aberrare aliqui possimus videri et in devium exire", Pi (Fac) „alioqui", (Pa) „alio". „Aliqui", quod in A invenitur, corruptum esse omnes viri docti consentiunt, sed non, quomodo sanari oporteat. Fickert „alicui" in medium protulit, quod haud ineptum esse concedo. Minime vero coniecturis, quarum alteram Gertz „aliquoi", alteram Schultess[22]) „obliqui" fecit, contextum corrigi posse puto. Nam illa forma „aliquoi" a Seneca alibi usurpata non est. Quare valde miror, quod lectiones, quas Pincianus ad hunc locum corruptum praebet, ne in notis criticis quidem editionum recentiorum allatae sunt. Nempe illae scripturae sunt optimae, quarum unam vel alteram Senecae attribuendam esse pro certo habeo. Verbis „alioqui(n)" et „alio" saepissime Senecam usum esse eius scripta legenti illico perspicuum fit.[23]) Vocabulum vero „alioqui" propterea potius in archetypo exstitisse puto, quod, quippe cui vocabulo Seneca maxime faveat, crebrius in codicibus corruptum est, cf. contr. IX 3,8 „aliqui"; II 6,5 „aliquit"; benef. II 18,3 „alicui"; quibus locis, quin Senecae et pater et filius „alioqui" usurpaverint, dubium esse non potest. Etiam hoc loco „alioqui" optima sententia

---

[21]) In A saepius verba minus nota depravata sunt, p. 123, 9; 124, 14 al.; cf. etiam Walther, Philol. 78 (1923) p. 180 et Gertz, ed. p. 424,1 et infra p. 49. [22]) Festschr. d. Hamb. Johanneums 1890 p. 58.

[23]) Cf. thes. l. L. I 1598 „alio", I 1591 „alioqui".

non caret, cum primam praebeat notionem: „irgendwie, anderswohin, sonst". Sed etiam „alio" e codice Pa datum non prorsus refutandum est, cum bene intellegatur, quamquam codicis A corruptela „aliqui" scripturam „alioqui" magis fulcit.

p. 134,16 (24,4) A „prudentiori credamus", Pi „cedamus". Lectionem codicis A aptam esse non existimo. Etenim Seneca nos illis, qui ad iram nos lacessiverint, ignoscere oportere identidem dicit, quare uniuscuiusque hominum ordinis excusationem quandam profitetur: puerum aetas, feminam sexus etc. excusat. Quod vero omnia manu scripta pergunt „prudentiori credamus", vix bonum est. Neque enim bene intellegitur, cur prudentiori nos credere oporteat. Immo! Si in eo est, ut prudentiori irascamur, quod prudentior sit, nos illius c e d e r e prudentiae, sicuti stultioris stultitiae remittere debere docemur.

p. 135,10 (25,3) A „ad latratum canum", Pi „ad latratus canum". Fieri posse puto, ut lectio Pinciani in archetypo exstiterit, cum Seneca similiter dixerit dial. IV 32,3 „qui more magnae ferae latratus minutorum canum securus exaudit". Nescio an librarius quidam, cum verba „ad latratus canum" legisset, syllabam „um" ad verbum „latratus" perperam transposuerit.

p. 137,13 (27,5) A „cum bene te ipse succenderis et causas, quibus stimuleris, renovaveris", Pi (Fac) „cum. . . . revocaveris". Pinciani scriptura digna esse videtur, quae quidem in notis criticis adnotetur. Nam iratus causas, quibus commotus irascitur, identidem in memoriam r e v o c a t, ut ira inflammetur, sed non r e n o v a t, cum re vera iam praeterierint.

p. 149,25 (43,3) A „ubi metus maior apparuit", Pi „ubi metus maiorum apparuit". Non esse dubium mihi videtur, quin litterae „um" verbi „maiorum" in A exciderint. Nam melius genetivus qui vocatur obiectivus „metus maiorum" (sc. „malorum") intellegi potest quam nominativus „maior". Ut Germanice vertam: „Die Furcht vor größeren (nl. Übeln)". Splendidius „maiorum" verbo „malis" respondet, quam ut „maior" ad substantivum „metus" referatur, cum tota sententia hac ratione multo clarior atque cogitationum oppositio

multo strictior fiat. Quare illam Pinciani lectionem genuinam putare non dubito, praesertim cum scriptura codicis A compendio syllabae „um“ omisso facillime oriri potuerit, ut p. 166,16; p. 177,9.[24])

De consolatione ad Marciam.

p. 151,13 (1,2) A „contra bonum morem magna pietas“, Pi „et contra b. m. m. p.“ Pinciani lectio haudquaquam videtur esse inepta, cum hoc loco reapse notionem „sogar“ exspectemus. Senecam „et“ saepius hac significatione usurpavisse constat atque exempla proferre supersedere possum.

p. 151,18 (1,2) A „fudistique lacrimas palam“, Pi(ca) „fudistique lacrimas clam“. Toto ex enuntiato elucere existimo „palam“ rectum esse non posse. Gertz[25]) quidem dicit: „nec haec coniecturis temptanda erant; neque enim inter se pugnant, quod Marcia lacrimas palam fudisse et gemitus devorasse dicitur, cum illud salva dignitate et animi magnitudine facere posset, in gemitus vero et heiulatus erumpere . . . talem feminam non deceret . . .“ Si sola verba: „fudistique . . . quidem“ spectamus, Gertz recte dixisse videtur, sed sequuntur: „non tamen hilari fronte texisti“, quae non conveniunt verbis: „fudistique l. palam“. Nam Marciam, si palam lacrimat, hilarem frontem non habere apparet. Quare Pinciani „clam“ probandum est.[26])

p. 155,14 (3,1) A „intraverat . . . et ibi signum Romani fixerunt“, quo loco Pincianus eandem dedit scripturam. Editores hac lectione non contenti cum Mureto textum mutaverunt, ut scriberent: „intraverat . . . et ibi signa Romana fixerat, ubi . . .“ Sed multi viri docti huius temporis lectionem traditam tenendam esse censuerunt. W. A. Baehrens[27]) recte animadvertit optimam illam verborum oppositionem „Romani — Romana“ mutatione Mureti deleri, sed „fixerant“ probat. Nempe Bourgery[28]), Kroll[29]), Uhl[30]), „fixerunt“ tenere maluerunt, quod Seneca tempore per-

---

[24]) Cf. Gertz, ed. p. 412 et 430 d 2. [25]) Cf. ed. p. 163 adn. crit.

[26]) Th. Birt quoque in commentatione: Marginalien zu lat. Prosaikern, Philol. 83 (1928) p. 31 sqq., quam post examen habitum vidi, „clam“ coniecit (p. 48). [27]) Philol. suppl. XII (1912) p. 468.

[28]) Rev. de. phil. 37 (1913) p. 96. [29]) Rhein. Mus. 69 (1914) p. 103.

[30]) Quaest. crit. in L. A. Senecae. dial., Straßburg. 1899 p. 43.

fecto saepius pro plusquamperfecto usus esset.[31]) Quibus causis permotus ego quoque scripturam traditam tenendam esse cum illis consentio.

p. 164,7 (10,6) A „decondet", Pi „recondet". Haud scio an cum Pinciani codice „recondet" scribi oporteat. Nam verbum „decondet" a nullo scriptore antiquo usurpatum invenitur neque a Seneca hoc loco excepto.[32]) Facile a scriba litterae d et e permutari potuerunt.[33]) Mea sententia a F. Rechio[34]) fulcitur.

p. 167,12 (12,2) A „longior esse maior", Pi „longior esse maiorque". Koch et Gertz Haaseum secuti „maior" spurium esse rati uncis incluserunt, cum Waltz „longior" deleverit. Schultess[35]) „maior" in „esse. mallem" mutavit, quod non probo, neque „longior" neque „maior" cum illis viris doctis tollere audeo, cum omnia manu scripta exemplaria id tradiderint. At mendum sublatum videtur esse, si cum Pinciani codice illud „maior" particula „que" cum antecedentibus coniungitur. Simili enuntiati loco Seneca verbum „maior" aequo modo cum alio coniunctum usurpavit: dial. I 6,5 „meliora maioraque".[36])

p. 176,1 (17,6) A „poteris habere formosos, et deformes poteris", Pi „poteris habere formosos, poteris et deformes". Series verborum, quam codex A exhibet, displicere videtur. Totum enuntiatum laxum est neque optime generi Senecae dicendi convenit. Oppositum enim, quod est in illis duabus sententiis, haud bene cognosci potest. Itaque Gertz[37]) particulam „sed" ante „et" addidit, sed ea carere possumus, si Pincianum secuti verba componimus. Nam hac ratione sententias esse contrarie positas illico ex duobus illis verbis per anaphoram repetitis „poteris" cognoscitur.

p. 177,1 (18,2) A „et modo occultam, modo tot ore terris imminentem", Pi „et modo occultam, modo toto ore terris

---

[31]) Cf. Kroll et Uhl l. c. [32]) Cf. Thes. l. L. V p. 201.

[33]) Cf. Gertz, ed. p. 433.

[34]) Quaest. grammaticae, Friburgi Brisg. 1895 p. 31.

[35]) Philol. Anz. 17 (1887) p. 296.

[36]) Post examen habitum in manus meas venit commentariolum: H. Georgii, Textkrit. Beitr. zu Sen., Philol. 34 (1929) p. 82 sqq., qui vir doctus protulit: (p. 104) „longior = si l. fuisset und esse maior als Prädikat, streiche also das Komma", quod nimis apparatum videtur esse.

[37]) Cf. ed. p. 193, 9.

i." [38]) Pincianum suis ex codicibus hoc loco lectionem genuinam attulisse persuasum habeo. O. Rossbach [39]) „toto orbe" coniecit, quod Gertz [40]) „beachtenswert" apellat. Rossbach vero se non meminisse dicit Senecam unquam loqui de ore lunae. Sed affero exemplum ex Herc. f. 1059 „noctemque fugas ore decoro fervide Titan", quo hic quoque „ore" legendum esse demonstratur. Neque enim quicquam interest, utrum de ore lunae an de ore solis, quem „Titan" significat, dicatur. „Toto" vero rectum esse apparet.

p. 181,20 (20,2) A „adversus minas casuum", Pi (Fac) „adversus ruinas casuum". Haud scio an sic cum Fac legendum sit, cum non in „minis" casuum, sed in „ruinis" sit concidendi periculum.

p.184, 26 (21,7) A „agurii opus suum fata" (alii codd. „augurii"), Pi (ca) „urgent opus suum fata". Muretus „agunt" coniecit, ut hunc locum depravatum sanaret, quod mihi non ita placet, cum significatio verbi „agunt" non satis gravis sit, ut Pinciani emendatio „urgent": „eifrig betreiben". Simili modo velut Tibullus I 9,8 idem usurpat verbum: „et durum terrae rusticus urget opus"; item Ovid. metam. IV 390 „sed adhuc Minyeia proles urget opus". Novissimis vero temporibus F. Walther [41]) „agunt rite" scribendum proposuit, cum, ut „rite" confirmetur, locos et ex Senecae et aliorum auctorum scriptis sumptos ascisceret: dial. VII 26,8 „imperatur silentium, ut rite peragi possit sacrum"; VI 13,1 „coronam capiti detraxit, cetera rite perfecit"; Cic. de Har. Resp. 11,23; Verg. Aen IV 555; „an diesen Stellen heißt ‚rite' ‚nach festgesetzter Ordnung' ". Fortasse melius „urgent rite" scribatur, quomodo fit, ut codicis A corruptela facilius intellegatur.

p. 189,12 (24,2) A „cogita tot illos perire annos", Pi „totos illos perire annos". Aut „tot" aut „illos" scripturae codicis A supervacaneum, ne dicam falsum videtur esse. Verborum contextus Pinciani scriptura ni fallor corrigitur, quam si accipimus, optima evadit sententia. Germanice profero: „Bedenke, daß jene Jahre sämtlich . . . ." Hoc modo scriptores antiqui hoc adiectivo haud raro usi sunt, velut Seneca dial.

---

[38]) Cod. F eadem praebet, cf. Herm., ed. p. 177,1 adn. crit.
[39]) Bresl. phil. Abh. II 3 (1888) p. 142.
[40]) Berl. phil. Woch. 1899, p. 408. [41]) Philol. 78 (1923) p. 182.

VIII 5,7 „etiam si illud totum sibi vindicat", IX 4,5 „sed vide, ne totum istud vitium sit". Saepius vero in A hoc depravatum est vocabulum, ut p. 177,1 A „tot", l(egi) o(portet) „toto"; p. 193,17 A „toto", l.o. „totos"; p. 236,28 A „totos", l. o. „toto". Item hoc loco „totos" in „tot" deletum esse signo abbreviationis in fine verbi omisso puto.

p. 190,24 (25,1) A „et beneficio liberos", Pi „et mortis beneficio liberos", quam lectionem codices quoque P2g exhibent. Gertz,[42]) cum dicat simplex verbum „mortis" non esse aptum, quod eos significari operteat, qui se ipsi interfecerint, „beneficio suo", quod Waltz in textum recepit, vel „manus suae beneficio" e coniectura scripsit. Sed non satis intellego, cur Seneca facere non potuerit, quin eos, qui sibi ipsi manus attulerunt, nominaret. Etiam ii, qui se ipsi interfecerunt, mortis beneficio liberi sunt. Notio vero sui interficiendi verbis „contemptores vitae" cum „beneficio mortis" coniunctis satis clare exprimitur. Itaque traditam codicum Pincianique lectionem non reicio neque coniecturis incertis hunc locum emendo. Quin etiam propterea traditam scripturam tenere malo, quod verborum series Senecae generi scribendi apta est. Nam bene atque consulto verba „vitae" et „mortis" opposiia esse puto. Non omittam coniecturas, quas fecerunt viri docti ad mendum sanandum: Gertz (cf. supra), Schultess „et bene finita liberos", Hermes „et beneficio liberi animi liberos", Brakmann[43]) „et beneficio liberae mortis liberos", quod Baehrens[44]) probavit, Becker[45]) „suo beneficio liberos" scipserunt. Quibus omnibus coniecturis Pinciani lectio non cedit.

p. 192,8 (26,2) A „contraxerat", Pi „contraxerint". „Contraxerat" falsum esse liquet, quare Muretus correxit „contraxerant", sed malo probare „contraxerint". Nam eodem iure hoc loco coniunctivum scribere licet atque ceteris in huius paragraphi sententiis, quae omnes oratione obliqua ornatae sunt. Pinciani lectio praeterea codicis F scriptura „contraxerit" commendatur.

p. 193,15 (26,6) A „quota enim ista fortuitae potentiae portio est", Pi (Fac) „quota enim ista fortunae poten-

---

[42]) Stud. crit. p. 120. [43]) Miscellanea tertia, Leiden 1917.
[44]) Berl. phil. Woch. 1917 p. 1551.
[45]) Berl. phil. Woch. 1922 p. 550.

tiae portio est". Senecam, Stoicum philosophum, hanc habuisse sententiam puto fortuna (Schicksal) fieri, ut illae rerum omnium mutationes eversionesque efficiantur, neque vero illas casui, quod verbo „fortuitae" fit, eum attribuisse censeo. Huic sententiae optime Pinciani lectio „fortunae" (Schicksal) respondet, cum „fortuitus" „zufällig" significet. Locum sic vertam: „Denn einen wie geringen Teil von der Macht des Schicksals nehmen (die Menschen) ein." Minimam partem homines esse earum rerum, ad quas fortunae potentia attinet, auctor opinatur. Cf. dial. IX 13,2 „nam qui multum agit, saepe fortunae potestatem sui facit".

De vita beata.

p. 210,10 (13,4) A „quae praeceps ferantur", Pi „quae in praeceps ferant". Bene dici potest voluptates intra naturale desiderium desistere, sed „praeceps" eas „ferri" minus probandum esse censeo. Lectionem Pinciani, quae multo meliorem praebet sensum, sic vertam: „welche in den Abgrund führen". Nam voluptates non ipsae praeceps feruntur, sed homines ferunt in praeceps. Accedit, quod Seneca verbis coniunctis „in praeceps" libenter usus est: Phaed. 179 „vadit animus in praeceps"; Agam. 260 „quid me morsus in praeceps agis"; 499. Ceteroquin activum et passivum saepius in A confunduntur.[46])

p. 217,22 (20,3) A „qui sibi hoc proposuit", Pi „qui sibi haec proposuit". Pluralem numerum hic rectiorem esse puto, quod pronomen ad complures quae sequuntur sententias pertinet.

p. 227,25 (26,5) A „facitis, sed ne", Pi (ca) „facitis sicut". Lectio codicis A depravata videtur esse, cum eam vix interpretari possis. Itaque viri docti mutaverunt verborum contextum. Koch „facitis et ne", Gertz Wesenbergium quendam secutus „facitis ut" scripsit. Pinciani vero scripturam optimam esse persuasum habeo, praesertim cum ex „sicut" facilius „sed" depravari potuerit quam ex „ut". Vel ob eam causam „sicut" melius quadrat, quod illa duo subiecta et quod est in verbo „facitis" et „hi qui aras evertunt" comparantur, sed non contra ponuntur.

---

[46]) Cf. Gertz, ed. p. 435, 2 b.

p. 230,1 (27,4) A „quem fera scabies depascitur“, Pi (Pa) „quem foeda scabies depascitur“. Omnes fere editores lectionem „foeda“ in contextum verborum receperunt. Sed novissimis temporibus R. Pichon[47]) „fera“ tenendum esse demonstrare conatur, cum duos locos ex Ovidii carminibus (trist. I 1,12; metam. XIII 207) asciscat, quem secutus Bourgery in editione „fera“ scripsit. Tamen scripturam „foeda“ genuinam esse puto, quam ad confirmandam exemplum ex Senecae libro de tranquillitate animi exscriptum affero: 2,11 „et foedam corporum scabiem“.

De otio.

p. 235,27 (4,2) A „quod maria terrasque et maria ãtris inserta complectitur“. Haec depravata lectio non est in codicibus deterioribus, ubi scribitur: „et mari ac terris inserta“, quod etiam Pincianus legit. R. Pichon[48]) nos hac lectione contentos esse non posse ostendit. „Outre qu'on, inquit, s'explique peu le singulier „mari“, succédant au pluriel „maria“ et coordonné avec le pluriel „terris“, le sens du membre de phrase n'est pas très clair. „Mari inserta“ peut, à la rigeur, désigner les animeaux marins; mais les animeaux terrestres ne peuvent être dits „placés dans le terre“. Quare hunc locum sic sarcire studet: „et maria an terrae incerta“, quod non laudo, cum magis mihi placeat coniectura Pinciani, qui huius sententiae difficultatem bene perspexit, ut e coniectura sic scriberet: „quod mari terras et maria terris inserta“, qua emendatione distributio marium terrarumque bene exprimitur. Numerus singularis „mare“, ut ita dicam, oceanum significat. Accedit, quod verborum series Senecae generi scribendi plane respondet.

p. 237,1 (5,4) A „perducens“. Wesenberg[49]) coniecturam „producens“ proposuit, quam accipiendam esse arbitror, quod „perducere“ non quadrat ad loci sententiam. Quae coniectura lectione Pinciani codicis „produceret“ confirmatur. Cf. etiam Stat. Theb. VIII 219 „vario producunt sidera ludo“. Facillime syllabae „per“ et „pro“ mutari potuerunt. Haud

---

[47]) Rev. de phil. 34 (1910) p. 123.
[48]) Rev. de phil. 37 (1913) p. 261.
[49]) Cf. Hermes, ed. p. 237,1 adn. crit.

scio an librarius, quod bis „per" praecedit, hoc loco „per" cum „pro" confuderit.

p. 241,2 (8,2) A „et hanc fugiet", Pi (Fac) „et hanc fugiet sapiens". Quamquam locum verbo „sapiens" omisso intellegi posse concedo, tamen fieri potuisse, ut excideret, haud ignoro. Verum enim vero enuntiatum verbo „sapiens" addito multo gravius meliusque finitur, ut dial. VIII 8,1 „negabis mihi accessurum ad hanc rem publicam sapientem".

De tranquillitate animi.

p. 248,19 (2,9) A „ad otium perfugerunt, ad secreta studia", Pi „ad otium perfugerunt et ad secreta studia". In codice A notiones „otium" et „studia", quasi sint diversae, disiunctae sunt. Rectiorem Pinciani codicis cuiusdam scripturam esse puto, qua illae conectuntur. Nam apud Romanos otiosum erat tempus, quod studiis peragi solebat.

p. 256,9 (6,1) A „deinde eos, quorum causa aut cum quibus," Pi „. . . cum quibus agendum est." Senecam, etsi saepius verbum finitum omittit atque enuntiationes abruptas scribit, hoc loco verbum haud addidisse non existimo, quia ex antecedentibus facile subaudire non possumus. Forsitan igitur verba „agendum est" Senecae attribuenda sint, cf. dial. IX 13,1 „et privatim et publice non tantum multa sed innumerabilia agenda sunt".

p. 261,21 (9,4) A „studiorum quoque, quae liberalissima impensa est, tam diu rationem habet, quam diu modum", Pi (Fac) add. ante „tam" „tamen". Aptissima videtur Pinciani lectio, cum praeclarius oppositum illud, quod est in hoc enuntiato, ea recepta efferatur. In studiis faciendis, quae semper magni aestimanda sunt atque quibus maxima opera est impendenda, tamen modum adhiberi oportet. Impensa studiorum, quamquam per se optima est, tamen tam diu habet rationem, quam diu modum. Facillime vero „tamen" ante „tam" omitti potuit.

p. 262,4 (9,5) A „XL milia librorum Alexandriae arserunt", Pi (ca) „quadringenta milia". F. Ritschl [50]) dicit: „Wenn nun zu Caesars Zeit der Bestand der alexandrinischen Bibliothek nach Seneca und Orosius sich auf 400 000 Bände belaufen

---

[50]) Opusc. phil., Lipsiae 1866 I p. 28.

haben soll, so ist dies einleuchtender Maßen so wenig eine Übertreibung, daß es vielmehr nur als eine unkritische Übertragung einer zufällig aufgerafften, für die ältere Zeit geltenden Notiz anzusehen ist, und daß Gellius und Ammian mit ihren 700 000 Bänden der Wahrheit entschieden näher kommen." Sed Seneca, quot milia librorum Alexandriae combusta sint, memoriae tradit, at non nominat numerum librorum, qui servabantur in bibliotheca. Nempe constare videtur illis temporibus 700 000 in bibliotheca fuisse, quem numerum Gellius VI 17 et Ammianus Marc. XXII 16,13 proferunt.[51]) Quodsi librorum numerum tantum fuisse iure putamus, quadringenta esse combusta quam quadraginta veri est similius, praeterquam quod numerus „quadraginta" ei, quod tradit Orosius, repugnat, qui dicit VI 15,31 „quadringenta milia librorum flammam exussisse". Nam si 40 000 libri flammis delentur, qua in bibliotheca asservantur 700 000, id tantum detrimentum non esse puto, quantum illud Caesarianorum temporum incendium habitum est.

p. 269,17 (12,5) A „non industria inquietos, et insanos falsae rerum imagines agitant", Pi (ca) „inanis industria inquietos ut insanos falsae rerum imagines agitant". Rectissime Gertz[52]) demonstravit hic inter homines inquietos et insanos esse distinguendum. „Nam ex iis", inquit, „quae statim post dicuntur (nam ne illi quidem [h. e. insani] . . .; eodem modo unumquemque ex his [h. e. inquietos] cet.), apparet, hos homines non et inquietos et insanos vocari, sed inter hos et insanos comparationem institui." Qua de causa coniecit „ut" vel „sed ut". Haud inepte! Hermes autem sensum huius loci coniectura „set" foedavit, cum ea facta et „inquietos" et „insanos" eosdem esse homines putari oporteat, quod non aptum est. De coniectura Petschenigii[53]) „inquieta sit ins." dicere supersedeo, cum huic loco bonum non afferat sensum. Multo melius est, quod Schultess[54]) e coniectura scripsit: „nunc industria inquietos ut ins.", qui vir doctus etiam particulam „ut", quam hic solam rectam esse

---

[51]) Cf. Dziatzko, R.E. III 1 p. 409 sqq. et Ritschl p. 31 sqq.
[52]) Stud. crit. p. 144 sq. [53]) Philol. 50 (1891) p. 184.
[54]) Stud. Annaeana, Festschrift des Hamburger Johanneums a. d. Straßburger Protest. Gymn. 1888 p. 42.

posse mihi persuasum est, proposuit. Sed iam Pincianus particula „ut" emendata hanc corruptelam sanavit. Praeterea Schultess pro „non" coniecit „nunc", quod non probo, cum ex sententiis quae sequuntur eluceat non fieri industria, ut illi inquieti agitentur; sed „inanis" industria est, quomodo Pincianus emendavit, quae illos inquietos faciat. Si sic scribimus, comparatio bona atque clara est. Adiectivum vero „inanis" Seneca crebro usurpavit. Qua cum Pinciani coniectura bene concinunt, quae Seneca infra (§ 6) dicit: „inanibus et levibus causis illos (inquietos) per urbem circumduci."

p. 272,14 (4,10) A „nemo diutius philosophatus. sed non raptim," Pi „nemo diutius philosophatur, sed non r." Madwig[55]), ille vir doctissimus, sic lectionem codicis A mutavit: „nemo d. philosophatus est. non r." Quae coniectura „philosophatus est" bono sensui non repugnat, sed particulam „sed" omitti non concedo, cum Seneca novam quandam afferat sententiam, quae ad antecedentes quasi contrarie posita est. Multo igitur aptior Pinciani codicis lectio est, quae bene intellegitur: „Niemand bleibt länger bei der Philosophie." Haec sententia omni tempore et antecedenti et praesenti et futuro valet.

p. 273,13 (15,4) A „omnia hominum negotia simillima initiis esse," Pi (ca) „omnia hominum negotia simillima mimis esse". Lectio codicis A spuria videtur esse, cum non prorsus liqueat, quomodo intellegi possit. Iam Marouzeau[56]) omnes codices deteriores hoc loco diversas praebere lectiones dixit, qua ex re concludit hoc loco in archetypo verbum fuisse rarum, quae verba saepissime in A depravata sunt,[57]) cum ille codex a scriba linguae Latinae minus perito exaratus sit.[58]) Itaque verbo „neniis" pro „initiis" posito corruptelam sarcire vult, sed non ita placet ut Pinciani emendatio „mimis". Saepissime vero in Romanorum Graecorumque scriptis vita humana cum mimis comparatur. Ipse quoque Seneca hanc sententiam professus est, ut epist. 26,5 et 80,7. Quare Pinciani coniecturam rectam putare non dubito.

p. 276,14 (17,5) A „nascitur ex assiduitate laborum animorum hebetatio", Pi (Fac) „nascitur ex assiduitate laborum

---

[55]) Adv. crit. II p. 383 sq. [56]) Rev. de phil. 37 (1913) p. 50.
[57]) Cf. Walther, Philol. 78 (1913) p. 180 et Gertz, ed. p. 424, 1.
[58]) Cf. etiam Duff, ed. praef. p. 55.

animo hebetatio." „Animo" optime dativus quem vocamus commodi vel incommodi iudicari potest, quem casum Seneca saepius cum verbo „nasci" similiter coniungit. Ex hoc libro affero 10,2 „natura, quae cum sciret, quibus aerumnis nasceremur, calamitatum molimentum consuetudinem invenit", al. „herbam non pecori tantum, sed homini nasci." Apud alios quoque scriptores verbum „nasci" cum dativo invenitur coniunctum, ut Cic. Cael. 59 „se natum huic imperio putavit"; Muren. 83. Ex dativo „animo" post genetivum „laborum" posito facillime „animorum" depravari potuisse primo obtutu apparet, cum syllabae „orum" verbi „laborum" adhuc in auribus scribae fuerint.

De brevitate vitae.

p. 282,28 (3,2) A „quantum rex", Pi „quantum reus". Verbum „rex" hac a sententia alienum neque causas locosque, quos Hermes[59]) ascivit, ad hanc lectionem firmandam aptos esse existimo. Nam omnino non fieri posse puto, ut substantivum „rex" loco vocabuli „patronus" intellegatur, minime vero apud Senecam. Neque enim „superior" (H. p. 280,20) cum „rex" comparari potest, ut Hermes suspicatus est, praeterquam quod „rex" ob eam causam non quadrat, quia statim „cliens" sequitur. Multo melius mihi „reus" placet, quod Bentley[60]) et Cornelissen[61]) collato loco 7,7 „ille reus quot dies abstulit?" bene defenderunt. Quo exemplo etiam hic lectio „reus" satis confirmatur.

p. 292,24 (10,2) A „et si vacet, iniucunda est paenitendae rei recordatio," Pi (FacSch) „et si vacet, certe iniucunda est p. r. r." Pincianus „certe" in codicibus FacSch „nonnullisque aliis" infuisse affirmat. Primo obtutu nos „certe" aptissime inserere posse apparet, ita ut in A hanc particulam excidisse opinari liceat. Nam non difficulter „certe" post „v a c e t", praesertim si compendio scriptum erat, deleri potuit.

p. 296,18 (12,6) A „natare", Pi (ca) „vectari". Lectio codicis A certe vitiata esse videtur, cum Seneca verbo antecedenti „lavari" iam id dixerit, quod „natare" quoque signi-

---

59) Cf. ed. p. 282, 28 adn. crit.
60) O. Hedicke, Studia Bentleiana, Freienwalde 1899 p. 5.
61) Con. Lat. p. 10.

ficat. Pincianus non inepte e coniectura scripsit „vectari", quod verbum bene quadrat neque prioribus sententiis repugnat. Nam illi homines, quamquam, hora gestationis ut veniat, exspectare non possunt, tamen admoneri volunt, quando adsit, item quando vectari soleant, ne certus diei ordo perturbetur. Quae emendatio vel propterea valde placet, cum non magna textus mutatio exigatur ut Woltersi[62]) coniectura „ambulari" facta.

p. 307,15 (18,6) A „summa dissimulatione tantum inter viscera latentis mali tegebant, cum ratione scilicet," Pi (ca) „. . . tegebant curationem". Verba „cum ratione scilicet" depravata esse suspicor, cum eorum in enuntiato positio displiceat. Itaque Pinciani coniecturam probare audeo, quam ad sequentem imprimis sententiam optime quadrare puto neque mutatio textus traditi magna est. G. Gemoll[63]) obiectum ad verbum „tegebant" cum postulet, „vim" post „tantum" inserere vult, sed Pinciani emendatio factu facilior est. Vocabulum „curatio" Seneca saepissime usurpavit[64]), ut hic quoque id scriptum fuisse summo iure opinari possimus. Exempli causa nonnullos affero locos, quibus „curatio" invenitur, dial. III 6,2; III 15,2; VI 1,8; clem. I 17,2; benef. VI 16,5.

p. 307,25 (19,1) A „quae voluptas", Pi „quae voluntas". Substantivum „voluptas" bene quadrare non existimo. Eos, qui partes Epicuri sequuntur, de voluptatibus deorum disserere mirum non est, sed Senecam, Stoicorum sectatorem, dedecere arbitror: severae Stoicorum dei notioni id minime aptum. Qua de causa „voluptas" corruptelam esse censeo, cum „voluntas", quod ad aliarum quaestionum seriem, de quibus agendum est, multo melius quadrat, genuinum esse persuasum habeam.

De consolatione ad Polybium.

p. 315,1 (3,5) O (codicum consensus) „nihil sincerus et tutus litterarum amor, Pi (ca) „nihil sincerus ex toto litterarum amor". Iam Muretus vocabulo „tutus" offensus, cum

62) Cf. Hermes, ed. adn. crit.
63) Adnotationes crit. in L. A. S. dial. Ohlau 1877 p. 8.
64) Cf. Thes. l. L. IV p. 1476.

non intellegeret, non inepte „putus" scripsit. Schultess[65]) „tutus" bono sensu carere ratus „totus" coniecit, sed malo accipere Pinciani emendationem, qua optima fit sententia neque quae Senecae elocutioni repugnat, cum saepius verbis coniunctis „ex toto" usus sit, ut dial. XI 5,5 „proiice omnem ex toto dolorem"; XI 18,5 „nunquam autem ego a te, ne ex toto maereas, exigam.[66]) Mutatio vero contextus magna non est, praesertim cum multifariam in A verbi „totus" formae depravatae sint, ut p. 177,1; 193,17; 236,28.[67])

p. 316,19 (5,2) O „ut cruciatu tui noceat tibi," Pi (ca) „ut cruciatu sui noceat tibi". Sana est Pinciani emendatio, cum sensus, quem efficit, multo melius ad Senecae quadret propositum. Polybius enim morte fratris cruciatu afficitur atque de fratris morte toto ex corde dolet. Prorsus igitur fieri non potest, ut „cruciatu tui" scribatur, cum frater morte s u a nocere nolit Polybio. Itaque pro „tui", cum bono careat sensu, „sui" scribendum est. „Sui" scilicet genetivus est obiectivus.

p. 323,24 (9,8) B „et nunc libere illic vagatur," quod Hermes in editionis contextum recepit. W. A. Baehrens[68]) „illic" esse interpolatum, quod alii codices (EHG) hoc vocabulum non habeant et V aliam det verborum seriem: „illic libere", nuper contendit. Sed id quod affert ad persuadendum aptum esse non arbitror. Etsi in V verba alio ordine leguntur, tamen inde concludi non licet „illic" interpolatum esse, cum saepius contextus verba hoc in codice aliter disposita sint. Sed vel ob eam causam „illic" spurium esse non existimo, quod duo haud mali Pinciani codices Fr et Sch, quos a V diversam exhibere traditionem puto, post „libere" „illis" tradant. Qua ex re alterutrum vocabulum in archetypo iam fuisse et in EGH excidisse evincere possumus. Utrum probandum sit, difficile est iudicatu. Sed, quamquam „illis" non ineptum est, haud scio an „illic" melius legatur, quod extemplo intellegitur, cum ad „illis" fortasse notionem „locis" subaudiamus necesse sit.

---

[65]) Phil. Anz. 17 (1887) p. 302.
[66]) Alia exempla inveniuntur apud E. Opitzium, De latinitate Senecae, Naumburg a. S. 1871 p. 20. [67]) Cf. supra p. 44.
[68]) Philol. suppl. XII (1912) p. 291.

p. 335,1 (17,2) O „quamvis in aliis rebus . . . discrimina", Pi „quamvis . . . discrimina sint." Gertz[69]), quem Hermes et Duff sunt secuti, „sint" post „quamvis" inserere audet, cum addat „sint" post „quamvis" se legere malle quam post „rebus", quo loco V id habet. Pergit vero „sint" in editionibus vetustioribus post „discrimina" legi, quod non prorsus verum est, cum Pincianus suo in codice manu scripto post „discrimina" „sint" traditum fuisse nos faciat certiores. Cum autem non sit cur ei fidem non habeamus, potius lectionem traditam comprobem quam Gertzii coniecturam. Nam „sint" eo loco, quo Pincianus exhibet, positum Senecae elocutioni nullo modo obsistit, cf. benef. V 13,1; VI 2,1; nat. quaest. I 8,2; VII 21,2; epist. 89,8.[70]) Waltz „sint" ante „discrimina" inserit.

p. 336,15 (18,1) A „nunc itaque te studiis tuis immergere acrius," Pi „immerge altius" („altius" ca). Editores fere omnes Pinciani lectionem et coniecturam in verborum contextum receperunt. Verum novissimis temporibus W. A. Baehrens[71]) codicis A lectionem tenendam esse demonstrare studet, sed causis ab illo viro docto allatis non prorsus fidem habeo. Ei haud scio an concedendum sit „acrius" genuinum esse p o s s e, sed longius processit, ut diceret: „Denn zu dem in übertragener Bedeutung gebrauchten „se immergere" paßt „acrius" sehr gut." Nam etsi verbum „immergere" propriam non habet significationem, „acrius" haud bene quadrat. Adverbio „altius" hoc loco multo splendidiorem tropum quem appellamus effici mihi persuasum est.

At fieri non posse puto, ut lectionem „immergere" teneamus, ita ut pro imperativo accipiamus infinitivum vel ex antecedentibus („tibi vero . . . mutandum est") notionem „debere" simul audiamus, quod Baehrens arbitratur. Altero imperativo „circumda", quem ille vir doctus non animadvertisse videtur, etiam hic „immerge" legendum esse prorsus liquet, quod cum ab aliis, tum a Baehrensio esse a Pinciano coniectum falso dicitur, lectio cum sit codicis cuiusdam, quo ille vir doctus Hispanus usus est. Quamvis in aliis Senecae scriptis perraro

[69]) Stud. crit. p. 168.

[70]) Cf. C. Naegler, De particularum usu apud L. A. Senecam, Halis Saxonum 1873 p. 23. [71]) Philol. supplement. XII (1912) p. 475.

(bis vel ter), id quod Baehrens opinatur, infinitivus pro imperativo inveniatur (ep. 20,2—3;[72]) 87,38; benef. VI 42,1), in dialogis hic usus omnino non est, quamquam his in libris creberrime data est illius adhibendi occasio, cum saepissime imperativum usitaverit. Itaque Senecam hoc loco altera in parte enuntiati infinitivum usurpassive, in altera imperativum veri simile non est, cum enuntiati concinnitas hoc modo deleatur, quam hunc auctorem ante omnes fovisse constat.

De consolatione ad Helviam.

p. 342,18 (2,5) A „in te incursantis pertulisti", Pi „in te incursitantis pertulisti". Non dubium est ni fallor, quin Seneca hic „incursitantis" scripserit, cum graviorem notionem afferat, quod Senecae perbene respondet. Seneca vero verbum „incursitare", quod hoc loco aptissimum est, saepius adhibuit, ut dial. VII 27,1 „alter in alterum incursitate", IV 35,5 „incursitantem"; V 6,4 „in multos incursitandum est"; epist. 110,7 „tota vita incursitamus".

p. 344,30 (5,6) A „tum inania et specioso ac deceptorio fuco circumlita inveni", Pi „quin et specioso („specioso" ca) ac decepturo fuco circumlita inveni". „Tum" genuinum esse videtur,[73]) praesertim cum iure suspicari possis ex verbis „tum inania" „quin" esse ortum. „Quin" autem non Pinciani coniectura est, ut Koch[74]) et I. Feldmann[75]), qui „etiam" scribere proposuit, opinati sunt, sed codicis cuiusdam lectio.

At „deceptorio" hic non rectum mihi videtur. Nam hoc verbum a scriptoribus demum christianis, imprimis ab Augustino, usitatum est.[76]) Neque Ch. Favezii[77]) sententiam, qui hoc vocabulum ab ipso Seneca inventum esse contendit, sequor, cum neque Senecae aequales neque ii qui statim sequuntur scriptores illo usi sint. Haud scio an „deceptorio" per librarium, qui scripta christiana bene novit, vel neglegentia in codices invaserit.

p. 349,22 8,1) A „virtutes suas secum ferre", Pi „virtutes suas ferre secum". Pinciani lectio magis probanda videtur esse, cum ea accepta enuntiatum gravius cadat. Clausula

---

[72]) De hoc loco Baehrens ipse quoque dubitare videtur.
[73]) Cf. Kroll, Rhein. Mus. 69 (1914) p. 99. [74]) app. crit.
[75]) p. 15. [76]) Thes. l. L. V p. 139. [77]) ed. p. 15 adn. 6.

enim verborum „fērrĕ sēcūm", purum efficit ditrochaeum, qua melior non invenitur.

p. 352,19 (9,7) A „quod patria cares, non est miserum, ita te disciplinis imbuisti", Pi (ca) „quod patria cares, non es miser. Etenim ita te disciplinis imbuisti." [78]) Melius quam lectio codicis A Pinciani coniectura cum bono sensu concinere videtur. Qua de causa deliberandum est, possitne comprobari. Ad enuntiationis structuram emendatio „miser es" optime quadrat atque vocabulo „etenim" quae sequuntur splendide ad antecedentia alligantur. „Est" sane facillime cum „es" permutari potuit.[79]) Item illud „etenim", cum compendio scriberetur, non difficulter cum „miser" coniunctum „miserum" efficere potuit.

p. 358,6 (12,2) A „quotiens festinationem necessitas itineris exegit", Pi „exigit". Considerandum est, nonne hoc loco „exigit" scribi possit, cum actio saepius repetatur atque futuro quoque tempore fieri posse Senecam existimare putem, ut „comitum turba" dimittatur, quotiens necessitas itineris exigat.

p. 365,13 (17,2) A „nam qui delusus et voluptatibus aut occupationibus abductus est, resurgit", Pi „nam qui aut delusus voluptatibus aut occupationibus abductus est, resurgit." Perapta Pinciani codicis scriptura est, quia sensui non repugnat bono neque Senecae generi dicendi, cum enuntiationis structura, quam A exhibet, displiceat. Enuntiatum pulcherrime disponitur, cum legimus: „aut delusus voluptatibus aut occupationibus abductus est." Verum enim vero illa verborum series, quam chiasmum appellare solemus, a scriptoribus rhetoricis saepissime usitata diligitur. Germanice hanc sententiam sic vertam: „Denn was durch Vergnügen betrogen oder durch Beschäftigung abgelenkt ist, erhebt sich wieder."

---

[78]) Pincianus complures affert lectiones, cf. ind. p. 123.
[79]) Cf. Gertz, ed. p. 437, ubi exempla inveniuntur.

IV.

Corriguntur Hermesii editionis menda ad Pinciani castigationes pertinentia.

Sed iam meum esse puto nonnulla Hermesii editionis corrigere menda indiligentiasque, quae quidem attinent ad Pinciani castigationes, ut, quod eius est, re vera ei attribuatur.[1]) p. 25,12 „demissis" non est Pinciani coniectura, sed codicis cuiusdam lectio; p. 25,13 „constringi" iam Pinc. coniecit; p. 31,25 „et" non del. Pinc, sed non habebat Pinc. cod.; p. 43,2 „infracta voce suspectior" non solum in edd. vett., sed iam in Pinciani cod.; p. 63,20 „voltu leni et magis gravi quam rabida voce illa sollemnia verba" Pinc. ca.; p. 106,6 „teterrimae", quod Hermes Haaseo attribuit, iam habuit Pinc. cod.; p. 126,11 „Oeobazo" iam a Pinciano coniectum esse videtur (Oebazo), qui affert „Herod. IV", ubi Oebazus nominatur; p. 128,13 „ingens" Pinc. ex Fac affert; p. 156,8 notionem „quem desideras" iam Pinc. ca; p. 157,8 Pinc. ca: „se consilio Arei philosophi viri sui praebuit"; Fac: „se Areo philosopho viri sui praebuit";[2]) p. 162,5 „ut" Pinc. quoque cod.; p. 162,13 „error decipit" Pinc. ca.; p. 164,15 „qui" Pinc. cod.; p. 178,17 Herm. in contextu „incertum" praebet, cum in notis criticis non afferat nisi „incertus A", Pinc. cod. Do iam „incertum" habuit; p. 183,21 „ille" in cod. Do erat; p. 190,13 „e confusis crassisque" etiam Pinc. cod.; p. 191,4 „monstrator" solum exempl. Fr; p. 222,12 ordinem verborum Pinc. iam correxit, sed alio modo interpunxit: „donabit. Quid? Erexistis aures? Quid? Expeditis sinum?"; p. 227,8 „illa pertineant" iam Pinc. cod.; p. 227,9 „intellegunt" Pinc. cod.; p. 243,23 „preciosive" Pinc. correxit; p. 245,24 „exigitur",

---

[1]) Hermes, si ad lectionem nomen Pinciani addit, eam Pinciani coniecturam esse putavisse videtur.

[2]) Verba „se consolandam", quae esse Pinciani coniecturam apud Hermesium scriptum video, in illa sunt lectione: „se consolandam philisopho viri sui praebuit", quam Pincianus non probat. Sed id, quod H. affert, omnino non invenitur apud Pincianum.

quantum video, solum Fac; p. 252,5 „quam gratuitum bonum" iam Pinc. cod.; p. 256,25 „in latore q. i. pondere" Pinc. ca., non „onere"; p. 263,15 „catena est, et laxa" iam Fac; p. 282,28 „quantum reus" solus Pinc. codex; p. 305,17 „distinetur" iam Fr et Sch; p. 336,16 „immerge" in Pinc. cod., „altius" Pinc. ca; p. 344,30 „.quin" Pinc. cod.; p. 336,16 „perveneris" iam Pinc. cod.

V.

Index omnium Pinciani lectionum coniecturarumque.

Indicem omnium lectionum coniecturarumque, quas Pincianus ad dialogorum libros protulit, addo, ut viri docti, qui Senecae scriptis impendunt operam, quam habeant auctoritatem illae ad verborum contextum et constituendum et edendum, clarius faciliusque intellegant. Eas castigationes, quae cum optimo codice A congruunt, asterisco designo. Quibus locis Pincianus dat coniecturas vel dicit, quibus ex codicibus lectiones prolatas sumpserit, nŏtas adicio. Lectiones, ad quas nihil adnotavi, ex codicibus Pinciani nullo nomine allatis provenerunt, quas affert modo dicens: „vetus lectio, quaedam exemplaria, codices correctissimi“ vel similiter.

De providentia.

Pinc. p. 90v. — H. *p. 1,1 (1,1) „divina“ ante „providentia“ omittit(ur) — p. 1,3 (1,1) quo praeesse. . . . probamus (ca) — p. 1,11 (1,2) „et cito“ om. (Do) — **Pinc. p. 90r.** — p. 2,4 (1,2) 1. commolliant; 2. „moveant“ vel „commoveant“ (ca) — *p. 2,11 (1,3) sed suas et illa — *p. 2,13 (1,3) miraculo — *p. 2,25 (1,5) adversus optimos optimis — p. 2,25 (1,5) neque enim rerum natura patitur ut bona b. n. — p. 2,28 (1,5) quandoquidem — p. 3,6 (1,6) hos modestia — p. 3,12 (2,1) tot supernae deiectiones imbrium — p. 3,17 (2,1) omnibus casibus potentior — p. 3,25 (2,3) per quos certamen praeparatur — p. 3,26 (2,3) caedi vexarique patiantur. Et si non inveniant singulos pares pluribus simul obiiciant (ca) — *p. 3,29 (2,4) quantumque polleat — p. 4,20 (2,7) si quando impetum capiunt spectandi magnos viros (ca) — *p. 4,26 (2,8) puerilia et humanae o. l. — *p. 5,5 (2,9) rectum — *p. 5,9 (2,10) ferrum istud etiam civili bello — p. 5,25 (2,12) renovata — p. 6,6 (3,1) *1. ac dignos malo; 2. „esse, si nolint“ om. — *p. 6,18 (3,2) et radi ossa et legi — p. 7,1 (3,3) immo et ut ante votum — *p. 7,14 (3,4) ignem — p. 7,17 (3,4) nisi magna fortuna — p. 7,25 (3,6) quas in repurgando . . . evulsit — **Pinc. p. 91v.** — p. 7,30 (3,6) strue augeretur — p. 8,1 (3,6) caede venantium deglutire (Fr) — p. 8,6 (3,7) 1. ista (ca); *2. „hoc“ post „inquit“ om. — *p. 8,8 (3,7) proscriptionis Sullanae spoliarium — *p. 9,15 (3,12) male tractatum Socratem indicas — *p. 9,18 (3,12) male cum illo a. e. quod gelatus est sanguis — *p. 9,27 (3,14) summamque — *p. 10,1 (3,4) Caesari, Crasso — p. 10,15 (4,4) Olympia. Si nemo praeter te. C. h. V. n. h. —

*p. 10,24 (4,3) quid quisque — *p. 10,26 (4,3) et virtuti . . . . quaesierunt — p. 11,5 (4,4) quamquam et quod — *p. 11,19 (4,5) „filiorum" post „orbitatem" om. — *p. 11,26 (4,6) iners — p. 12,1 (4,7) grave est ferre teneris cervicibus iugum — *p. 12,8 (4,7) veniet ad illum — p. 12,12 (4,8) Quia in c. . . . . . fortissimis imperat dux. Lectissimos — *p. 13,1 (4,10) in vanas — p. 13,10 (4,11) verberibus admotos — p. 13,19 (4,12) exagitavit — p. 13,19 (4,12) ut contra ipsam ab ipsa (Do) [1] — p. 13,22 (4,13) nautis — p. 13,23 (4,13) extritae — **Pinc. p. 91r.** — p. 14,1 (4,13) ad contemnendam malorum patientiam — p. 14,9 (4,14) „stagna" om. — *p. 14,26 (5,1) quod sapienti viro — *p. 15,6 (5,3) configi — *p. 15,17 (5,4) idem in hac magna re publica — *p. 15,19 (5,4) sequuntur illam et aequant gradus. Si sciss. a. — p. 16,20 (5,8) quicquid est, quod nos sic vivere iussit, sic mori iussit — p. 17,1 (5,9) ducendus (ca) — *p. 17,7 (5,10) scies — *p. 17,21 (5,11) iunge — p. 18,12 (6,2) quidni cum aliquando ipsi occidant (Fr) — *p. 18,15 (6,3) quare quaedam — p. 18,30 (6,5) inspexerit, tanto videbit meliora, maiora quae permisi vobis (Fr) — p. 19,11 (6,6) contemnite dolorem. Aut solvetur . . . . Contemnite mortem. Aut finit aut transfert vos. Contemnite fortunam — p. 20,5 (6,9) quacumque pervium est ipsum illud . . . . mori — *p. 20,9 (6,9) sive in caput lapsos (Fac).

De constantia sapientis.

Pinc. p. 38v. — *p. 21,10 (1,1) eripiat et . . . . educat — *p. 21,12 (1,2) at ardua per quae vocamur (Fac) — *p. 22,5 (1,3) M. Catonis — *p. 22,7 (1,3) quod supra — p. 22,16 (2,1) et caeca cupiditate . . . se dum vendunt etiam venire — *p. 23,1 (2,2) in tres divisus s. — p. 23,25 (3,1) incidistis — p. 24,7 (3,3) perveniatur (ca) — *p. 24,9 (3,3) sacrilegum — p. 24,11 (3,3) icturi appetant — *p. 24,17 (3,4) habeatur —*p. 24,19 (3,4) fit — *p. 24,26 (3,4) deteri — *p. 24,31 (3,5) saeculis — *p. 25,5 (4,1) Etiam cum potentes et imperio, editi — p. 25,12 (4,2) demissis — p. 25,13 (4,2) constringi (ca) — *p. 26,11 (5,3) unum enim illi malum — *p. 26,22 (5,4) in solido — *p. 26,25 (5,4) perducta — *p. 26,27 (5,4) libera est, inviolabilis, immota, inconcussa — p. 26,28 (5,4) 1. indurata (ca); 2. induruit (ca) — *p. 27,5 (5,5) virtute sua salva — p. 27,7 (5,6) Megara (ca) — p. 27,13 (5,7) et patriam. At ille victoriam i. e. — **Pinc. p. 38r.** — *p. 27,14 (5,7) non invictum — *p. 27,22 (6,1) impotens — *p. 27,25 (6,2) micantes (Fac) — p. 28,1 (6,2) habes — *p. 28,4 (6,3) attollere — *p. 28,11 (6,4) en adsum hoc — *p. 28,16 (6,5) erepsi modo e ruinis domus (Fac) — p. 29,9 (6,8) patent ista hostili vestigio (ca) — *p. 29,11 (6,8) nullum introitum praebent — *p. 29,26 (7,2) quam inter se — p. 29,27 (7,2) potest. Malus autem infirmior bono, nec iniuria bonis, nisi a dispari inferenda est — p. 30,3 (7,3) Sed iniuste, inquis, Socrates damnatus iniuriam accepit — p. 30,7 (7,4) cum e villa mea surripuit — p. 30,14 (7,4) apposita veste clusum est (Fac) — *p. 30,17 (7,5) ut alterum sine altero esse possit alterum . . . non possit (Fac) — *p. 31,2 (8,1) Iniuria autem . . . iniuste. Ergo . . . fieri. Nec . . mireris — p. 31,5 (8,1) Nec

[1]) Cf. H. Wagenvoort, Mnemos. 41 (1913) p. 156.

prodesse vero quisquam — p. 31,7 (8,1) et inanis nihil potest tribuere sapiens (PaFr) — p. 31,9 (8,1) a se (PaFr) — *p. 31,13 (8,2) pergensque — p. 31,18 (8,3) unde (ca) — p. 31,22 (8,3) ultra quod nihil . . . . quod minentur (ca) — **Pinc. p. 39v.** — p. 31,25 (8,3) multo fortius alia tolerabimus damna, dolores, ign. — *p. 32,3 (9,1) forte — p. 32,7 (9,1) citra (ca) — *p. 32,12 (9,2) inter — *p. 32,13 (9,2) illa — *p. 32,16 (9,2) effugit — p. 32,21 (9,3) Etiam si illum tangit iniuria et movet et impedit habet iram. Caret autem ira sapiens — p. 32,25 (9,3) elatus adeo ad offensiones rerum hominumque non contrahitur, ut ipsa illi i. u. s. — *p. 33,9 (9,5) genere sapientem — p. 33,14 (10,1) *1. plerisque vero; 2. cum iam quibusdam . . . refutaverimus, est minor iniuria (ca) — *p. 33,22 (10,2) lecto — p. 34,6 (10,3) 1. nuntiat sibi; 2. nuntiat quantum sibi — p. 34,25 (11,2) quam ut illis audacia . . . celsiora d. — p. 35,5 (11,3) „nostrorum" om. — *p. 35,6 (11,3) convivas — p. 35,11 (11,3) immeditata effundunt — p. 35,27 (12,2) 1. eodem in campo; *2. eadem (ca) — *p. 36,5 (12,2) longiusque progressis — *p. 36,8 (12,3) malo — *p. 36,9 (12,3) et ut — *p. 36,22 (13,2) quem — *p. 36,27 (13,2) intemperantes — *p. 37,2 (13,2) et quo — *p. 37,16 (13,4) ad Castoris (a. o. s. l.[2]) — **Pinc. p. 39r.** — *p. 37,20 (13,4) huius — p. 37,21 (13,4) habes sub te Parthos, Medos, et Bactrianos — p. 37,22 (13,4) 1. sed per quos remittere arcum (Fac); 2. remittere animum (ca) — p. 37,24 (13,4) dominium — *p. 37,27 (13,5) demiserit (ca) — p. 37,30 (13,5) ut iudicando sibi contumeliam — *p. 38,16 (14,2) quisquis erit — p. 38,23 (14,2) 1. petens torvum (Do); 2. petens thronum (Fac) — *p. 39,9 (15,1) si oculus illi e. — *p. 39,18 (15,2) coniecturam capitis — p. 39,23 (15,3) 1. Quare et si aspera et quaecumque toleratu gravia sunt (Fac); 2. Quare, et si aspera et quantumcumque . . . sint (ca) — *p. 39,24 (15,3) non obruetur eorum coetu — p. 39,27 (15,3) teneri — *p. 39,28 (15,4) vincitur. Ne — *p. 40,1 (15,4) illam (Pa) — p. 40,4 (15,5) venali studio — p. 40,29 (16,4) 1. et quibus illud quod contumelia dicitur (Fac); 2. ex quibus illud est quod contumelia dicitur (ca) — *p. 41,6 (16,4) ipsi in nos — p. 41,10 (17,1) aliquis vervecem marinum dixerat — *p. 41,12 (17,1) Corbulo struthocamelum d. — *p. 41,16 (17,2) discessit. Quid? quod offendimur, si quis — *p. 41,23 (17,2) et per — **Pinc. p. 40v.** — p. 41,24 (17,2) illa — *p. 41,25 (17,3) coepit — p. 42,2 (17,13) *1. pudere didicerat; 2. p. dedidicerat (ca) — Hoc loco Pincianus affirmat verba haec: „non debet quidam homo esse contumeliosius" infuisse „nulla in scripta lectione". — *p. 42,14 (18,1) anili — p. 42,15 (18,1) 1. emendicatis (Fac); 2. medicatis (ca) — *p. 42,21 (18,2) primis amicis habebat ferocem v. — p. 42,22 (18,2) convivio. Item in contione — p. 43,1 (18,3) Chaereae tribuno militum sermo non pro manu erat: quod languidus sono et infracta voce suspectior — p. 43,5 (18,3) 1. crepidatus, ac iratus; 2. crepidatus, armillatus (ca) — p. 43,8 (18,3) discidit (ca) — p. 43,11 (18,4) Hic idem Caius omnis contumeliae puteus (ca) — p. 43,11 (18,4) et sicut ferendarum i. f. c. — *p. 43,13 (18,4) quod illum — *p. 43,15 (18,4) Hoc enim — p. 43,17 (18,4) Caligulam convitium et probrum puta-

[2]) adstipulante omni scripta lectione.

bat cothurnatus (ca) — p. 43,22 (18,5) contumelia confirmantur — p. 43,26 (18,5) 1. Antiphoni mater barbara et Thraessa; *2. Antistheni mater barbara . . . (Fac) — **Pinc. p. 40r.** — *p. 44,7 (19,2) publicisque . . . salutaribus . . o. — p. 44,10 (19,2) obiratis (Fac) — p. 44,15 (19,2) „agenda" om. (PaFr) — *p. 44,16 (19,2) Quis enim est — p. 44,21 (19,3) Quo quisque honestior, genere, fama, patrominio est hoc se fortius stare faciat — *p. 44,30 (19,3) Quaeris quis hic sit locus? viri. Sapienti aliud (FacPa) — p. 45,4 (29,4) *1. esse aliquid invictum. esse aliquem in . . . . . possit e re publica est. generis humani est; 2. alterutrum „est" om. (ca).

De ira I.

Pinc. p. 19r. — *p. 46,13 (1,2) dispectum — p. 47,5 (1,4) flagrant emicant — p. 48,20 (2,2) inter s. m. iura (Fac) — p. 48,21 (2,2) celebrisve (ca) — p. 49,1 (2,4) 1. tamquam diis aut c. nostri; 2. auctoritatem suam (ca) — *p. 49,2 (2,4) quid gladiatoribus (Pa) — p. 49,8 (2,5) nec sciunt quidem, cui (Pa) — *p. 49,16 (3,1) verum est — *p. 50,11 (3,4) luxuriam, et — p. 50,13 (3,4) homine — p. 50,24 (3,7) *1. cogitatio; 2. „providentia" om. — **Pinc. p. 20v.** — p. 50,26 (3,7) 1. regium autem illud et principale aliter ducunt; 2. regium est illud et principale alte ductum (Pa) — p. 51,2 (3,7) capit eorum visus species rerum (ca) — *p. 51,8 (3,8) discursuque — p. 51,22 (4,3) quaedam sine motu — *p. 51,23 (4,3) maledictorumque — p. 52,4 (5,2) quid homine aliorum — p. 52,6 (5,2) hic congregari vult, illa dispergi — *p. 52,11 (5,3) emendatissimo — p. 52,14 (5,3) b. enim h. v. consistit — p. 53,9 (6,3) strictiorem (Fr) — *p. 53,17 (6,4) ullius — *p. 54,1 (6,5) ne eo quidem — p. 54,3 (7,1) Quid? quamvis — p. 54,19 (7,3) concussa — p. 54,31 (8,1) aspernari (ca) — *p. 55,10 (8,2) sed in affectum i. m. (Fac) — *p. 55,14 (8,3) in melius peiusque — *p. 56,3 (8,7) tunc beneficio (Pa) — *p. 56,7 (9,1) impetu opus est — *p. 56,16 (9,2) cuius — p. 57,14 (16,4) ira, inquit — *p. 57,29 (11,2) Teutonorumque (Fac) — *p. 57,32 (11,2) propulit stravitque obvia — *p. 58,7 (11,3) suffugia (ca) — *p. 58,14 (11,5) affectas — **Pinc. p. 20r.** — *p. 58,28 (11,7) „quam" ante „dum" om. — p. 58,32 (11,8) praecavet — p. 59,1 (12,1) Quid ergo, inquit? Vir bonus non irascitur? — *p. 59,7 (12,1) nec linquetur a. — p. 59,20 (12,4) aspersus est — p. 59,28 (12,5) praerabida et amens ut omnis — *p. 60,3 (12,5) Martem — p. 61,21 (14,3) errantes p. a. ignorantia — *p. 62,4 (15,2) occidimus — p. 62,5 (15,2) ferrum apponimus (Fac) — p. 62,6 (15,2) portentosos f. exstinguimus: liberos quoque si d. monstrosique editi s., abigimus (Fr) — *p. 62,12 (15,3) illo tempore — p. 62,15 (16,1) ad correctionem — p. 62,18 (16,1) Quid ergo non i. latroni? Non (Fr) — p. 62,23 (16,2) publica (Fac) — p. 62,25 (16,2) non contineberis (ca) — p. 62,27 (16,2) 1. iam solita; 2. insolita (ca) — p. 63,2 (16,3) animus est — p. 63,8 (16,3) et per tuam alienamque voluptatem supplicium id quod unum bonum tibi s. — p. 63,20 (16,5) 1. sed vultu leni et magis gravi quam rabida voce illa s. v. legis concipiam et a. i. (ca); 2. . . . illa sollemnia verba concipiam et lege agi iubebo (ca) — *p. 63,24 (16,5) Tarpeio — *p. 64,1 (16,6) Quid? tibi lex videtur — *p. 64,17 (16,7) suspitiones (Fac) — *p. 64,29 (17,2) hanc (Fac) — *p. 65,5 (17,4) non solidum —

*p. 65,7 (17,4) concepti — *p. 65,21 (17,7) citerius (Fac) — **Pinc. p. 21v.** — p. 65,23 (17,7) et ea quae invasit tenet (PaFr) — *p. 66,18 (18,4) militi — *p. 66,22 (18,4) hoc — p. 68,1 (19,6) eodem modo — *p. 68,11 (19,8) cui expendenda ae. s. v. quam debeat — *p. 68,20 (20,2) quiddam — p. 68,19 (20,3) veternosi et inf. a. imbellicitatis s. conscii, saepe i. — p. 68,31 (20,3) quae ad ictus l. (Fac) — *p. 69,4 (20,4) magno emissae — *p. 69,20 (20,6) aut et bonum — p. 69,22 (20,6) qualis esse in malis i. non solet (Fac) — p. 70,6 (20,8) *1. et quidem sine missione; 2. haec verba om. (Fac).

De ira II.

Pinc. p. 21v. — p. 72,9 (1,2) et vitalia (ca) — *p. 72,13 (1,2) affunditur — p. 73,6 (1,5) 1. eis quibus tangebatur accensus est; *2. eius quibus t. assensus est — *p. 73,8 (2,1) inquis haec quaestio — *p. 73,12 (2,1) tactus — p. 73,27 (2,4) nonnunquamque — *p. 74,8 (2,5) nolentium (ca) — p. 74,11 (2,6) *1. Xenophanto; 2. Xenophante — *p. 75,7 (3,5) voluntate et iudicio — p. 76,20 (5,5) 1. supra cadavera (Fac); *2. inter — **Pinc. p. 21r.** — *p. 76,22 (5,5) hic rex (PaFac) — *p. 77,7 (6,2) est ex — *p. 77,8 (6,2) et in hanc o. — *p. 77,15 (6,4) pro facto cuiusque — *p. 77,21 (7,1) „ille" add. post „desinet" — p. 78,1 (7,3) advocatos consciscunt — p. 78,1 (7,3) 1. alius iudicio patrem accusat quem demereri satius fuit (ca); 2. satius (Fac); 3. hanc lectionem om. — *p. 78,23 (9,1) sapiens si semel — p. 78,25 (9,1) „quod" om. — p. 79,1 (9,1) quodam (ca) — p. 79,9 (9,2) coiere (Fac) — p. 79,17 (9,3) sacramentum diversum (Fac) — p. 79,25 (9,3) 1. ne eos quidem (Fac); *2. ne os quidem (PaMa) — p. 79,28 (9,4) abductum (ca) — p. 80,8 (10,1) velis qui aegrotant — *p. 80,10 (10,1) et hoc est — *p. 80,12 (10,2) ignoscendum est — *p. 80,25 (10,4) et iniquum sit et p. — p. 81,7 (10,5) Ubi isthic irae locus est? (ca) — p. 81,27 (10,8) Non lento (Fac) — p. 82,8 (11,2) 1. nec hoc sapientiam dici velim quod fere sapientis quoque telum est t.; 2. n. h. sapientis dici velim quod ferae q. t. est t. (ca) — p. 82,12 (11,2) 1. At contra omnia d. foedaque turpia ipso quo t. sunt (Pa); 2. At contra o. d. foedaque et turpia timentur (Fac) — **Pinc. p. 22v.** — *p. 82,13 (11,2) sic ira (Fac) — *p. 82,18 (11,3) dictus (Fac) — p. 82,23 (11,4) 1. ad levissimos pectora sonos (Fr); 2. a. l. tactus pectora (Fac); 3. ictus (ca) — p. 83,2 (11,4) quia formidini est. Quando quidem — p. 83,3 (11,4) et ossa mortifera morsu (ca) — p. 83,5 (11,5) conterreat (Fac) — p. 83,7 (11,5) Curriculi motus, rotarumque versata f. leonem redigit — p. 84,4 (12,4) vigilia se indefatigabilem ostendit (Fac) — p. 84,4 (12,4) didicerunt alii t. (Pa) — *p. 84,11 (12,5) aut nulla tam p. st., aut non d. — p. 84,22 (13,1) 1. quod in patrocinium n. q. excusatam (Pa); *2. quod patrocinium n. q., et e. (Fac) — p. 85,2 (13,2) vobis auctor r. venio — p. 85,12 (13,3) 1. potiusque scelera (Fac); 2. ocius (ca) — p. 85,15 (13,3) 1. cuius domum; *2. modum (ca) — p. 86,1 (14,3) tantum non qua caveat aspicit (Fr) — *p. 87,6 (16,1) adducit — p. 87,13 (16,2) Quid autem est — *p. 87,15 (16,2) mundum deumque — p. 87,17 (16,3) 1. hominum habentur; 2. omnium sunt (Fac) — p. 87,20 (16,3) „nepotibusque" om. — p. 87,23 (17,1) immo irritatus — **Pinc. p. 22r.** — p. 88,2 (17,2) praedem (ca) — *p. 88,8

(18,1) ne incidamus — p. 88,30 (19,2) 1. fervidi (Pa); 2. fervidi mixtura faciet (ca) — *p. 89,1 (19,2) mixtura timidos facit (PaFacDo) — *p. 89,12 (19,4) insequitur (PaFacDo) — p. 89,18 (19,5) 1. saucii sunt (PaFr); 2. saturi (Fac) — p. 90,1 (20,2) plurimum potest c., quae si gravis est aliud initium est (Fac) — p. 90,9 (20,3) minuatur, non ut — p. 90,10 (20,3) ludi — p. 90,24 (21,2) „etiam" om. (Fac) — *p. 91,4 (21,3) utamur — *p. 91,6 (21,4) suppliciter, nec prosit rogare — p. 92,13 (21,10) 1. Platonem quam patrem imitatus sit (Fac); 2. patrem quam Platonem comitatus sit — p. 92,19 (22,1) si quidem sors — *p. 93,7 (23,1) ab hippia — *p. 93,15 (23,2) qui c. l. e. patris. Pinc. dicit: „Dissentiunt a Seneca quinque praestantissimi scriptores. Curtius lb. IV; Val. Max. lb. VI.; Trogus lb. XI; Arrianus lb. II; Plutarch. Alex. Omnes produnt hanc epistulam a Parmenione emissam, non ab Alexandri matre." — p. 93,17 (23,2) *1. deterritus; 2. territus — p. 93,19 (23,3) 1. hoc ego (Fac); *2. hoc eo (PaDo) — p. 93,20 (23,3) quo rarior (ca) — p. 93,24 (23,4) aut in adversis — **Pinc. p. 23v.** — *p. 93,27 (23,4) putavit — p. 94,13 (25,1) *1. aut tepidior aqua poturo; 2. aut tepidiore aqua potus ero; 3. aut tepidior aqua potaturo — p. 94,15 (25,1) aegrae et inf. v. est — *p. 94,18 (25,2) Mindyridem — *p. 94,20 (25,2) illum opus (Pa) — p. 94,26 (25,3) obversatus calix (Fac) — *p. 95,7 (26,2) sine sensu — p. 95,20 (26,4) sic et multis a., quae nullam i. nobis faciunt, quia v. n. p. Non . . . profecta (FrFac) — p. 97,17 (28,5) pronos — *p. 97,18 (28,5) etiam eos — p. 97,28 (28,6) Haec et ipse commisi. Sed ubi tam ae. i. invenies? Is qui n. n. u. (Fac) — *p. 98,5 (28,7) servulorum — p. 98,7 (28,8) filii vitia — *p. 98,15 (29,1) hoc ab illa pete initio Non ut ignoscat — p. 98,21 (29,2) de his — *p. 98,24 (29,2) doluisse — *p. 99,1 (29,3) venit — *p. 99,4 (29,3) iam enim iam — *p. 99,7 (29,4) nihil unquam — p. 99,15 (30,1) 1. etiam iniuria eius sit; 2. ut illius iam iniuria ius sit (ca) — p. 99,15 (30,1) mulier est. Erat (ca) — *p. 100,1 (31,1) quia — *p. 100,2 (31,1) putamus — *p. 100,11 (31,3) in se nolit — p. 100,12 (31,4) aut ignorantia nos itaque rerum — p. 100,18 (31,4) *1. insidiosos animos (Fac); 2. infidos amicos (Ma) — **Pinc. p. 23r.** — p. 101,1 (31,6) adulantesque domino feras. Pudebit cum a. p. mores? — p. 101,5 (31,7) et homo unus (ca) — p. 101,12 (31,8) nocent, affligerimus (Fac) — p. 101,23 (32,1) 1. Inhumanum v. e., et quidem pro iusto receptum ultio, et talio multum non differt nisi ordine (Fac); 2. Inhumanum v. e., et quidem p. iusto receptum ultio, et a contumelia non d. n. ordine (ca) — *p. 102,12 (33,1) venimus s. i. veniamus — p. 102,18 (33,1) quod quos (Fac) — *p. 102,22 (33,3) „de ipsis" post „agendo" om. — *p. 102,25 (33,3) munditiis eius et cultoribus c. o. — p. 103,13 (33,6) contempsissem (ca) — p. 104,1 (34,1) Mures formicae quas si manu amoveris ora convertunt (Fac); 2. Mures et formicae etc. (Fr); 3. Imbecilla s. l. p. si tangantur ut mures et for., quas si manu amoveris ora convertunt (ca); 4. ad quas si manum admoveris, o. c. (ca); 5. Mures formicaeque, si manu amoveris, o. c. Imbecilla s. l. putant, si t. (ca) — p. 104,12 (33,4) *1. nobis omnes (Fac); 2. homines (ca); 3. „omnes" vel „homines" om. (Pa) — *p. 104,14 (34,4) eius pedibus advolutus e., quem — *p. 104,16

(34,4) fideliores habet socios — p. 104,21 (34,5) 1. Nisi pariter non pugnant. Si utrimque certabitur i. c.; 2. Nisi par non pugnat — **Pinc. p. 24v.** — *p. 104,26 (35,1) Numquid — *p. 105,2 (35,1) Vix retrahitur — p. 105,11 (35,3) tamen aeque profuit — p. 105,15 (35,3) et sive amictus illius c. sit ad legem trahet vestem (Fac) — *p. 105,19 (35,3) Tumescunt — p. 106,5 (35,5) teterrimae i. e. furiae — p. 106,11 (35,5) lividam sua sanie offusam (Fac) — *p. 106,16 (35,6) sit qualis — *p. 106,17 (35,6) bellona — p. 107,1 (36,3) 1. quidem neminem d. ab ira credis? (FrPa); 2. credo (ca) — *p. 107,21 (36,6) huius — *p. 107,27 (36,6) aestimata proiecit.

De ira III.

Pinc. p. 24v. — p. 108,16 (1,3) huius incitata et se ipsam r. — p. 109,5 (1,4) sed casu ruunt (Fac) — p. 109,8 (1,5) in ira deiectus etiam animorum est (Fac) — *p. 109,13 (1,5) nec refert quantum sit (Fac) — p. 109,21 (2,1) inter Graecos quam barbaros — p. 109,25 (2,2) nunquam universus populus unius feminae amore flagravit (DoMa) — p. 110,5 (2,4) 1. favorabilior (Pa); 2. medio honore (ca) — p. 111,1 (3,1) „inermemque" om. — *p. 111,17 (3,5) opinionis sit — *p. 111,24 (3,6) eculei — **Pinc. p. 24r.** — p. 111,25 (3,6) defixis (ca) — *p. 111,29 (3,6) caveae (Fac) — *p. 111,30 (3,6) taetrior (Fac) — *p. 112,8 (4,2) „nunc" post „adiice" om. — *p. 112,16 (4,3) sive — *p. 113,6 (5,1) prodest — *p. 113,14 (5,2) nos — p. 113,27 (5,5) peior est etiam quam (Fac) — *p. 113,28 (5,5) alieno dolore. Vincit — p. 114,16 (5,8) abducit — *p. 114,20 (5,8) incurvat — p. 114,27 (6,1) inferiora fulminant — p. 115,1 (6,1) depositus — *p. 115,22 (6,5) irascatur — *p. 115,28 (6,6) at quae (ca) — p. 116,4 (7,1) Premunt atque abducunt ... cadunt. Itaque fit, ut ... facilia sunt, aggreditur (Fac) — p. 116,10 (7,2) hic interest (Fac) — p. 116,13 (7,2) pravae (ca) — *p. 116,17 (8,1) quia — *p. 116,18 (8,1) anxio — p. 116,19 (8,1) ad contactus (FacFr) — p. 116,22 (8,2) fortem quoque et siliceum virum emollit (ca) — **Pinc. p. 25v.** — p. 117,14 (8,5) 1. non evocent, sed ferant (Fac); 2. nec evocent neque ferant (Fr) — p. 117,31 (8,7) „suo" om. — p. 118,4 (8,8) 1. „et" om. (Fac); 2. demissos — *p. 118,20 (9,3) concitat — p. 118,22 (9,4) sive quia calor in inediam compellit, ea nocet sanguini (ca) — p. 119,14 (10,2) prognostica (Fac) — p. 119,18 (10,3) *1. causam, 2. curam — p. 120,5 (11,1) 1. eruerit; *2. eruit; 3. quaerit — *p. 120,6 (11,1) perducit — *p. 120,15 (11,3) fortuna (ca) — p. 120,21 (11,4) illis se succendi (Fac) — p. 120,32 (12,12) „aut pati" om. (ca) — *p. 120,32 (12,2) aut humanum sit aut humile (Fac) — p. 121,9 (12,4) 1. apparebit iudicium non iram esse; 2. apparebit iudicium esse non iram — p. 121,14 (12,5) ipse percussurus — *p. 121,16 (12,5) percussuro — *p. 121,24 (12,7) ob hoc non cecidit propter quod (Fac) — p. 122,6 (13,2) immutare (Fac) — p. 122,11 (13,2) formentur — *p. 122,14 (13,3) nec erat illi exprobratio (FrPa) — p. 123,9 (14,1) Praexaspes (ca) — *p. 123,16 (14,2) ac vinolentus obiurgatoris — *p. 123,20 (14,2) in ipso corde — **Pinc. p. 25r.** — *p. 123,31 (14,4) verterentur — p. 123,33 (14,4) videbimus . . . debuit — p. 124,10 (14,6) quam satius erat — p. 124,14 (15,1) Harpagus (ca) — *p. 124,15 (15,1) regi suo Per-

sarumque — *p. 124,24 (15,2) ex ingentibus — p. 125,12 (15,4) 1. „brevem" om. (ca); *2. retorridam (ca) — p. 125,27 (16,1) „ingentium" om. (Fac) — *p. 126,9 (16,3) mago — p. 126,11 (16,3) 1. Orobasio; *2. Orobazo; 3. Oebazo (ca) — *p. 126,16 (16,4) Pythio (ca) — p. 127,21 (18,1) nec inter Romanos mores . . . in barbariem transissent (Pa) — p. 127,28 (18,2) *1. in omne facinus manus exercens (Fac); 2. iam omne facinus manu exercens (Fr) — p. 128,3 (18,2) 1. merito (Fr); 2. meritus (Pa) — *p. 128,7 (18,2) vindicum — p. 128,9 (18,3) Bedienum Bassum (Fac) — p. 128,13 (18,4) quam ingens crudelitas eius (Fac) — *p. 128,14 (18,4) xysto — *p. 128,15 (18,4) qui — p. 128,22 (19,1) 1. alioqui possemus videri in debium exire („quamquam aberrare" om. Fac); 2. quamquam aberrare alio possimus videri, et in devium exire (Pa) — p. 129,1 (19,1) tribularibus (Do) — **Pinc. p. 26v.** — *p. 129,3 (19,2) verbera — *p. 129,14 (19,3) „silentium" post „omnibus" et „volebat" post „animadverti" om. — *p. 129,17 (19,3) qua — *p. 129,21 (19,4) farciri — p. 129,22 (19,4) obice ultimum (Fac) — *p. 129,24 (19,4) liceat illam non — p. 129,25 (19,5) quot — p. 129,29 (19,5) 1. virium fudit (Fac); *2. viritim furit (ca) — *p. 130,8 (20,2) intra — p. 130,24 (21,1) Babylonem — *p. 130,27 (21,1) vado — *p. 130,29 (21,2) albi (ca) — p. 131,1 (21,2) regiis equis meatum auferentem (ca) — *p. 131,7 (21,4) periit itaque et tempus magna (ca) — p. 131,20 (22,2) excubantes (ca) — p. 131,22 (22,2) qui de rege — p. 131,24 (22,2) dicentes (ca) — *p. 131,24 (22,2) palla interesset, quam . . . ne vos rex audiat (Fac) — p. 132,11 (22,4) 1. et boni spero; 2. et bene spero (ca) — *p. 132,13 (22,5) captis sic usus est — *p. 132,14 (22,5) praeconi subiiceret — p. 132,25 (23,2) Parrhesiades (FrPa) — *p. 132,29 (23,2) et te, inquit, suspendere (Fac) — p. 133,15 (23,6) historias postea quas scripserat recitavit — p. 133,18 (23,6) fulgure ictum — *p. 133,23 (23,8) paranti deinde excusationem obstitit et fruere inquit (FacPa) — **Pinc. p. 26r.** — p. 133,26 (23,8) Si iubes, Caesar, domo mea (FacPa) — p. 134,6 (24,2) *1. clarius; 2. elatius — p. 134,16 (24,4) cedamus — p. 134,27 (25,1) ex regia domo duci (Fac) — p. 135,10 (25,3) 1. ad latratum canum; 2. ad latratum canis (Pa) — *p. 135,12 (25,3) „in" om. post „inconcussus" — p. 135,27 (26,1) 1. imprudentiae; aut: 2. „patrocinium est" om. — p. 136,3 (26,3) 1. a. G. virum dum decet; 2. a. G. viritim dedecet (ca); 3. in nodum coactus apud G. dumdecet (Fr); 4. a. G. dedecet (ca) — p. 136,4 (26,3) nec in uno (Fac) — p. 136,5 (26,3) gentis — *p. 136,17 (26,5) aliquem — p. 136,24 (27,1) 1. Quanto melius est ire indulsum nec vitia vitiis opponere (Fac) („opponere" etiam alii codd.); *2. Quanto melius est abire in diversum — p. 136,27 (27,2) iniquus es — p. 137,3 (27,3) peccavit, hoc est primum, hoc est extremum — *p. 137,7 (27,3) errores volutabitur — p. 137,11 (27,4) Si semper (Fac) — p. 137,13 (27,5) cum bene te . . . revocaveris (Fac) — *p. 137,29 (28,3) vinctum (Fac) — p. 139,11 (30,1) 1. ima; 2. minima; 3. inania (ca) — p. 140,8 (31,1) 1. obliti quantum sequatur a tergo spiculis ingentis invidiae sauciati (FrPa); 2. obliti quantum hominum retro sit et paucis invidentes quantum sequatur a tergo ingentis invidentiae (Fac) — **Pinc. p. 27v.** — p. 140,14 (31,2) deesse —

*p. 114,17 (31,2) ea (Fac) — *p. 140,29 (32,1) quid properamus (ca) — p. 141,6 (32,2) flagellis — p. 141,23 (33,2) propter quos venae clamore tumescunt (Fac) — p. 141,25 (33,2) regionibus advolant (Fac) — p. 141,27 (33,3) amputatum (ca) — p. 142,2 (33,3) computandum (ca) — p. 142,12 (34,1) loco verborum „horumque causa paratam ambitionem" omissorum „ambitiones" (Fac) — p. 142,18 (34,1) 1. qualia quoque pueros (Fac); 2. qualique pueros (Fr); 3. qualia pueros (Do) — p. 142,20 (34,2) 1. quae tanti gerimus; *2. serium est (Fac); 3. nihil ex his quae tamquam seria agimus serium est (ca) — p. 142,23 (34,2) diu spe suprema captatus — p. 143,19 (35,3) ad clamorem s., ad tinnitum a., ad laminae impulsum (Fac) — *p. 143,21 (35,4) hoc quod . . . transfer — *p. 145,4 (37,1) quia ne — p. 145,20 (37,4) pulvinar — p. 145,32 (38,2) Cato noster (Fr) — *p. 147,8 (40,2) Vedium Pollionem (ca) — **Pinc. p. 27r.** — p. 147,8 (40,2) ex servis eius crystallinum — p. 147,11 (40,2) *1. ingentes in piscina; 2. ingenti in piscina — *p. 147,16 (40,3) autem omnia c. — *p. 147,19 (40,4) lancinari — p. 147,23 (40,5) ut ira ex superiori loco a. non possit male tractet. At talem dumtaxat (Fac) — p. 148,5 (41,1) merearis — p. 148,18 (42,1) exierint renascentur — p. 148,26 (42,2) res gestae — *p. 149,4 (42,4) circa — p. 149,17 (43,2) finis confector exspectat (Fac) — p. 149,19 (43,2) matutinus — p. 149,22 (43,3) vicinia (ca) — p. 149,25 (43,3) maiorum p. 149,29 (43,4) „utique" om. (Fac) — p. 150,9 (43,5) vellicationes, contemptus — p. 150,11 (43,5) iam mortalitas (ca).

De consolatione ad Marciam.

Pinc. p. 46r. — p. 151,5 (1,1) incumbant — *p. 151,5 (1,1) concepissem — p. 151,10 (1,2) in personam (ca) — p. 151,13 (1,2) permittit sibi quaedam et contra — *p. 151,16 (1,2) patere servituti — p. 151,18 (1,2) clam (ca) — **Pinc. p. 47v.** — p. 152,1 (1,2) 1. quidem tamen non hilari f.; 2. quin et tantum non hilari f. (ca) — p. 152,3 (1,3) mutatio temporis (Fac) — p. 152,14 (1,3) „qui" om. — *p. 152,15 (1,3) quid sit vir R. . . . et ad Seianianum iugum adactis indomitus (p. e. v. l.; p. e. c.[3]) — *p. 152,18 (1,4) si illum ob duas res pulcherrimas in oblivionem coniectum eloquentiam et — p. 152,23 (1,4) *1. tacebuntur; 2. „tacebuntur" om. — p. 152,26 (1,5) 1. „tuis" om.; 2. fucum (ca) — *p. 153,1 (1,5) agant et blandiantur — p. 153,3 (1,5) verum fateri vis — *p. 153,12 (1,6) illud ipsum naturale . . . composuit — *p. 153,15 (1,7) ex primo illo — p. 153,19 (1,7) itaque quoque haec tristia et — p. 153,28 (1,8) ulcus verteraverunt (Fac) — p. 154,2 (2,1) et in exemplis — *p. 154,3 (2,1) morem — *p. 154,7 (2,2) tui — p. 154,15 (2,3) imperii reclinare — p. 154,16 (2,3) ingenio potentem (Fac) — p. 154,16 (2,3) sed et frugalitatis c. (ca) — **Pinc. p. 47r.** — p. 154,26 (2,4) non dico tantum consurgere, sed allevari recusans (Fac) — p. 155,1 (2,4) sibi fieri de illo — *p. 155,13 (3,1) Livia amiserat . . . intraverat penitus . . . ibi signum Romani fixerunt . . . in expeditione decesserat — *p. 155,21 (3,1) Italiae desiderium — p. 155,23 (3,2) 1. non licuerat . . . ultima filii oscula . . . prosecuta; 2. Drusi sui

---

[3]) partim ex vetere lectione, partim e coniectura.

prosecutae (ca); 3. uti filii osculo — p. 155,27 (3,2) irritatae (ca) — *p. 155,28 (3,2) et illum et dolorem — *p. 156,2 (3,2) ubique — p. 156,8 (3,3) 1. ipsumque desiderans tristem matribus omnem occurrere; 2. „tristem matribus" om.; 3. ipsa te desiderabis. Triste matribus omen occurres (ca); 4. ipseque quem desideras tristis matri et ominosus occurret (ca) — *p. 156,13 (3,3) alienissimumque — p. 156,14 (3,3) noto patre (ca) — p. 156,15 (3,4) maximae feminae te exemplum applicueris moderatius ac mitius — *p. 156,17 (3,4) malum amentia est... infelicitatis — p. 156,22 (3,4) 1. dignissime quietum semper nominatus cogitatusque faciet; 2. dignissimum quiete semper nominans cogitansque facies (ca) — **Pinc. p. 48v.** — p. 157,1 (4,1) 1. ut humanae ferre inhumano iubeam modo; 2. ut humana ferre inhumano iubeam modo (ca) — *p. 157,4 (4,1) magnus dolor — *p. 157,6 (4,1) magis — *p. 157,7 (4,1) consilium — p. 157,9 (4,2) *1. consulareo; 2. se consilio Arei philosophi viri sui praebuit (ca); 3. se Areo philosopho viri sui (Fac) — p. 157,10 (4,2) confessa est plusquam Romanum populum — p. 157,18 (4,3) Diligentissime usque in hunc diem, Livia — p. 157,20 (4,3) Cui non . . . emittuntur nota, sed omnes . . . vestrorum motus — *p. 157,27 (4,4) dare, nullius — **Pinc. p. 48r.** — *p. 158,3 (5,1) se gerant. Loquantur aliquid coram te de D. a. n. — p. 158,14 (5,3) in huiusmodi casibus — *p. 158,16 (5,4) meliorum fortunam tuam qua — p. 158,17 (5,4) 1. convertis (ca); *2. occursusque — *p. 158,29 (5,6) conterrita — *p. 159,4 (6,1) muta personam te (Fac) — p. 159,8 (6,1) confligamus (ca) — p. 159,14 (6,2) tenet — p. 159,15 (6,3) 1. ne; 2. Quare regamus nos ne ista (ca) — p. 159,17 (6,3) fluitantia — *p. 160,1 (7,2) expilata redierint — *p. 160,12 (7,3) eandem — p. 160,16 (7,4) in personam constituunt — p. 160,17 (7,4) *1. luctum; 2. orbationem (ca) — p. 160,20 (7,4) terribilibus (ca) — p. 160,22 (8,1) dies longa — p. 161,1 (8,2) q. in Livia fuit (ca) — *p. 161,12 (9,1) et aliis pacatius (Fac) — p. 161,21 (9,2) praevisa — p. 161,26 (9,3) in tuum vibrata caput. Quoties ad l. aut post t. ceciderint (p. v. l., p. ca) — **Pinc. p. 49v.** — *p. 162,2 (9,3) alium quidem p., sed m. p. — p. 162,5 (9,4) ut cogitet — p. 162,10 (9,5) 1. e. v. et dignum audivi qui non epulo heri et cuivis; 2. e versum audi et d. qui non esset Publii Syri. Et cuivis (ca) — p. 162,13 (9,5) error (ca) — *p. 162,18 (10,1) atria (ca) — *p. 162,22 (10,1) nihil horum d. d., c. et ad dominos redituris — p. 163,11 (10,3) *1. a metu ire cessura; 2. amet ut recussura (ca) — *p. 163,15 (10,4) haurite — p. 163,18 (10,4) 1. deficietur, iste; 2. deficiet te iste (ca) — p. 163,20 (10,4) et fuga — p. 163,23 (10,5) in h. legem datus est. Hoc i. f. ab utero statim prosecutum est — p. 164,3 (10,6) vel in remedium. Alios v. Id nunc isti l. nunc tibi. Alios p. i. n. m. iactabit — p. 164,7 (10,6) sed in alicuius v. immensae b. recondet — p. 164,14 (11,1) moderandum est . . . qui immoderate f. et in multos dolores humanum pectus dispensandum — **Pinc. p. 49r.** — p. 164,22 (11,2) huc... foris — *p. 165,1 (11,2) turba dispari — p. 165,1 (11,2) 1. et quae diligis v., et quae d. u. exaequat cinis hoc videlicet illa Phyticis oraculis ascripta noscite; 2. et quem d. veneraris, et quem d. unius exaequat vox Chilonis. haec videlicet i. Pythicis... nosce te (ca); 3. et quem d. veneraris,

